

6992

MAUSOLÆUM
HEROIBUS IN ITALIA
EX EXERCITU
CÆSARIS
LEOPOLDI
MAGNI,
GLORIOSA MORTE
SUBLATIS

Panegyricâ Suadâ erectum,

E T
HONORI

Illusterrimorum, Perillustrium, Reverendorum,
Religiosorum, Prænobilium, Nobilium, Excellentium,
ac Doctissimorum Dominorum AA. LL. &

Philosophie.

NEO-DOCTORUM,

Cum

In Alma ac Celeberrima Universitate Græ-
censi Supremâ Philosophici Doctoratus Laureâ
insignirentur.

Promotore

R. P. FRANCISCO HOCHENBURGER, é Soc.
Jesu, AA. LL. & Philosophiae Doctore, ejusdemque
Professore emerito.

Ab

Illusterrima Grecensi Rhetorica dicatum.

ANNO à partu Virginis M. D. CC. III.

GRÆCIJ, Apud Hæredes Widmanstadij.



MINISTERIA
EPISTOLARIA
2 A 25 2
LIBER PUBLI
TITULARE
CIVICIS
MOTUS A 30 1803
1

IN=030004139

Digitized by Google



ILLUSTRISIMI,
PERILLUSTRES, REVE-
RENDI, RELIGIOSI, PRÆNO-
BILES, NOBILES, EXCELLENTES, AC
DOCTISSIMI

DOMINI, DOMINI
NEO-DOCTORES.



Vm inter resonantes tubarum clangores, iee-
rataſq; gratulantium voces pro ſuprema
capeſſenda laurea, veftra vos evocat Phi-
losophia, Eloquentiae in campis morantes,
quid n̄ ē ſuos facunda quoq; invitet Pal-
las, glorioſo huic honoris veftri triumpho, ſi non pro dignita-
te, pro affectu certō applauſuros? Verū quem, qualemve
tandem ſtagiræum emenſis ſtadium illa laudum ſyllabum?
quia Philoſophica in arena ad supremam eluctantibus lau-
ream epinicia adornabit? Date veniam Neo-Doctores Phi-
loſophi, ſi applauſuum loco tragicos indu tamagè cothurnos,

quem elapsis aristis Gradivi Cesarei animam, invictum bel-
li Imperatorem extulit Eugenium, ejusdem hodie laureata
messis Comites, quanquam non sine sanguine, & vel pro-
pria clade Suada vestris honoribus eligat dedicare, Iudi-
cavit hoc enim verò Pallas nostra, ut, dum calum vestris ho-
die datur laureis, laureatos & illa adducat manes: dum vos
stagiræam emensos esse gaudetis arenam, illa non minus Mar-
tiam egressis arenam, & in capitolium (ut sperare licet)
caleste translatis Víctoribus applaudat: Credidit gaudiorum
vestrorum triumphalem meridiem atro squallore obum-
brandum minimè, quando, dum Martios etiam soles Italia
in arena occumbentes delineat, Cesarei Martis per hoc ipsum
gloria lucem est accensura. Romanos proin Duces damus,
quia Römani Cesaris sub signis belligerantes; nec melior
imago Ducis Cesarei, quam Ducis Romanus, uterque virtute
& Marte procedit pari; hoc solo gaudens hic privilegio, quod
hunc natura priorem, tempus illum posteriorum, vir-
tus generositate, si non superiorum, parem certò effecerit. Ca-
nimus lessum, funebresq; adornamus panegyres, probè
scientes, & ab umbra colorum extollì elegantiam, suspiria
letos etiam inter concentus reperiri. Quod tamen lu-
gemus, illud unum est, quod cum ranta, ramq; innumera
eorum, quos hic celebramus, Heroum immortalitate digna sint
gesta, plurima nos fugiant; que cum dignis etiam eloquentie
coloribus adumbrare staret animo, minimè licuit, quia nos
præterierunt. Vivite ergò, & benevolo affectu hunc nostrum
comitemini laborem, quem vobis sacramus.

Honoribus vestris


Addictissimi

Rhetores Græcenses





KONINKLIJK
LIBRARIJ
LAEKEN



PANEGYRICUS FUNEBRIS I.

De Decio Romano,

seu

COMITE à THIERHAIMB,
ROMANÆ GLORIÆ ÆMULO,
Ad Carpi prima Julij Anno 1701. glorio-
fissimâ morte defuncto.

Heu tragicum mortis Imperium ! Heu ne sciam flecti potentiam ! ô duras fatorum vi- cies ! ô indomitam Parcarum crudelitatem ! Itane verò ô infestæ Deæ ! crudeles estis ? ut nec Nobilissimæ Prosapiæ , avitæ vos flætere ceræ ; non Illustrissimi Sanguinis in- clytus continere Splendor, non vividæ ætatis floridum ro- bur valuerit emollire ? Adeóne barbaræ, ut Heroum ani- mabus, æquè ac ultimo Martis insidiemini affeclæ, Pom- pejos & Philippos, Hannibales & Scipiones, Hectores & Ma- cedonas pari cum reliquis fatorum involvatis necessitate ? Ah Parcæ ! minimè parcæ, vel maximè tamen diræ, quod a deo eximum belli fulmen , splendidissimum Martis fidus, invictum Bellonæ decus , in urnam nuper impellentes , ei-

dem vitae filum præcideritis ! cecidit quippe , cecidit militiae
 Cæsareæ columen , Austriacæ felicitatis vindex , Heroum
 Alpha , Galliæ terror , cecidit generosæ mentis Ectypon ,
 plurimarum lauæarum Spes , Victorijs natus , factusque
 miles Comes à Thierhaimb cecidit ! Næ ego hic vos Parcas
 à Lilijs corruptas interpreter? Næ ad argenti splendorem cæ-
 cas alias , hic in Herois tanti , imò & Austraci Orbis perni-
 ciem oculatas nimium quantum attestet ? velut quæ cum
 hoste colludentes , hoc Austriam invicto Herœ spoliastis :
 Sit tamen , ut sit : Palladis sanctè est , eum lugere , quemætas
 Juvenilis Martis exhibuit pullum , quem longior annorum
 series plurimarum Liliato in campo Laurearum messorem ,
 quem denique profecta ætas teneris jam ab unguiculis lon-
 gè maximis insignem præfigiebat trophæis . Quamquam
 quid dico lugendum ? occubuit enim ; at martialibus succen-
 sus flammis , coram hoste occubuit : occubuit : sed in are-
 na ; ubi vulnerari , est Heroum charactere notari ; cadere ,
 ad gloriam surgere ; mori , famâ ipsâ reddi immortalem : oc-
 cubuit ; sed incredibili bellandi ardore suis triumphum &
 laureas pariendo . Ut proinde Thierhaimbium Comitem
 inter cineres jam quiescentem , evocato è cineribus Decio
 non immerito comparem ; quod hic Romanis quondam
 sub signis , ille Romano Cælareis , militaverit sub Aquilis ,
 uterque contra Lilia ; Victor uterque ; quilibet ita ceciderit ,
 ut in ambobus basim Victoriae exercitus nactus sit Roma-
 nus ,

Si magna unquam Romanorum Heroum stetit gloria ,
 immortaleque Nomen eorum in sidera usque fuit sublima-
 tum , quando vel generoso ausu in destinatam certaminis
 arenam procedere , vitam & sanguinem pro Patriæ incolu-
 mitate , & salute fundere , admirandâ quâdam animi magni-
 tudine , ac fortitudine validissimorum hostium impetus , &
 ferociam reprimere , eosdem gloriose vincere , quin & in
 triumphum ducere sunt conspecti ; illud est . quod Decius ,
 dignus Romani Belliducis nomine Heros adversus hostes
 glo-

gloriōsē decertans , dubium postero orbi reliquit , milēsne
 Romanus vincibilis eset , cūm etiam lauream , quam jam te-
 nebant hostes , ē manibus eorum eripere videretur . Ut enim ,
 quæ Laureati Romanorum complectuntur annales , Decij
 trophæa brevibus exponam : moverant fortassis Romano
 orbi nonnullæ , viētricis semper gloriæ invidæ partes , ex
 improviso bella , ad calybem provocaverant , hac cote ro-
 bur suum experturæ : Nemo hic , qui Archi - Strategus , i-
 demque militiae sol in reliqua Romani Martis sidera influe-
 ret ; nemo , qui tot inter procellas luctanti Reipublicæ na-
 vi navarrhus præsideret : Decius unus erat , qui pro Patriæ
 incolumentate , pro Reipublicæ , civiumque salute caput ho-
 sti opponens cum tribus suorum millibus contra decem ar-
 matorum millia in arenam processit : parua sanè cohors , si
 virorum spectato numero adversa cum phalange compare-
 tur ; sat magna tamen , si virtus magis , quām numerus in-
 quiratur ; à fulmine enim belliduce suo fulminatrix hæc est
 Legio , fulminis instar etiam hostes territura : non dubitan-
 dum in auge viētricis gloriæ ē bello Romanos reddituros ,
 quos fidus adeò præclarum Martis comitatur : Decium de-
 niique gerunt Belliducem , vel exhibent omen dantes , decem
 annorum periodo , centenas , idest innumerab se refe-
 rendas viētorias : & verò quām non inania hæc auguria fue-
 rint , eventus docuit : mox quippè resonante classico , dum
 prælijam undiquè fluctus Romana signa involverent , De-
 cius unus fuit , qui belli aleam vertere , Romanis Laureatas
 in Insulas portum propinare est conspectus . Devoverat se
 hic ad primam suorum stragem oculis exceptam , vel mori ,
 vel vincere ; strictoquè mox acinace per medios hostium ir-
 ruens , laureæ procus volitavit : terrori hīc ad inauditam
 magnanimitatem hostes , post in mortem Herōis armari , de-
 dum & in vulnera ruere ; quibus , cūm ille martiā fortitudine
 responderet , occumbens minimè tamen succubuit , quia
 quam vivens præliando non amplius poterat , extintus suo
 funere animando , viētoriam reportabat . O eximium enim

verò factum Decij ! ô magnanimitatem nullius ævi
cursu obliterandam ! ô Heröem fortissimum ! ô funus sanè
victoriosum ! sed non minùs, & mortem glorioissimam tu-
am, imò Decium te alterum , & vel inter atratos Prosapiæ
tuæ luctus virtute martiâ Illustrissimum te, Comes de Thier-
haimb ! æmulatus es Romanæ felicitatis Atlantes, Herœs
bellicos , si non superästi, adæquâsti; nequè alio jam glori-
ari potest Decius , quäm se tibi quidem eripuisse , ne tu pri-
mus ; te verò illi , ne ille solus esset , qui pro bono se Patriæ
devovens cruore suo Laureata Cæsaris fundavit trophæa,
qui mortis falcam subiit , victoriæ ut messis nasceretur ; qui
herbam denique momordit , hostis ut herbam porrigeret :
ut enim innumera Heröis hujus præconia , quibus ille alte-
rum vere se Decium in bellico exhibuit Italiæ theatro, præte-
ræa; quis nescit, qualiter Austriaci Imperij dilatandi desiderio
vitam etiam sanguinemque dare illi fixum steterit ? qualiter,
quamque fortiter ad primum mox in oras has ingressum
cum hoste confluxerit ? configendo occubuerit ? occup-
bendo vel cum Dæcio triumphârit ? steterant jam suis distin-
ctæ ordinibus geminæ castrorum acies ; has Cæsareæ insi-
gniebant Aquilæ, illæ pallentia Lilia velut inertis mettis in-
dices præferebant: Gallos cingebant erecti aggeres , A-
thesisque, ac Padus muniebant; Cæsareis fortis , concors.
què omnium animus , Spætanus extiterat murus: illi nu-
mero quidem majores , fortitudine attamen , & animis infe-
riores , si cum ijs in comparationem veniant, quorum laureis
totum orbem dixisses designatum. Quid inter hæc Euge-
nius ? invitabat laureæ spes , probéque nota militis Cæsa-
rei virtus ; sed terrebat vel unum è numero illorum perdere,
qui omnes Ducum imperia dare possent: non aleam belli ten-
taret ? moram injici , cursum tardari victorijs Cæsareis quo-
que durum cadebat : nescio præterea , quis intus tacitus stimu-
lus jam Belliducis animo fausta omnia præsigiebat ; jam
metu non nihil fluctuantem reddebat , ne fors primos inter
recensendi Heröis alicujus jacturam pateretur. Ad Duces

ergò Martiaque conversus pectora , his verè flamas addi-
 dit verbis : nostra victoria est , Martis fulmina ; nostra est He-
 rōes invictissimi ; modò Cæsarei nuper in Lunam victorio-
 si Militis gloriam hodie fortitudine vestrâ confirmetis ; in
 Gallos bella movemus ; fugient levitate suâ , qui jam pallent
 in Lilijs : redeat in memoriam , quâ fortitudine , infracto-
 què labore , & ipso hostium sensu insuperabilem nuper in
 Italiam vobis patefeceritis aditum , turpe foret famæ vix na-
 tæ tantam labem aspergere : si ignivoma globorum tempe-
 stas sœviat : si Gallicus vires exerat furor , trepidate nihil ,
 pro Cæsare , pro justa belli causa vos in arenam descendisse
 scitote . Ite igitur , nequé moram facite , dum stantes nos
 fugiunt illi , ruite in hostes , paratumque Cæsareis Aquilis ,
 nec non & armis vestris mecum petite triumphum . Vi-
 disses hîc inflammatos omnium animos ; conspexisses omni-
 um corda arenæ exæstuate fervore , nequè aliud , quâ Mart-
 tem toto pectora circumferre . Inter cæteros Thierbaum-
 bius erat ille , cui quot verba , tot flammæ succensum aliun-
 de bellicosò spiritu peccus animabant ; ita enim mox secum
 ipse : aut vincendum , aut moriendum mihi hodie sit ; pri-
 mitiæ belli , primitiæ sint victoriæ : non melius hostis
 vincitur , quâ cum primâ victoriâ tumens ejusdem animus
 prosternatur : quod hucusque dubium defixumque tenuit
 orbem , majorne Cæsari , an Gallo militum virtus , ho-
 die ferro decidatur : nec fatimetuo ; pro Patria , pro
 Cæsare , pro æqua belli causa vitam sanguinemque dare
 bellicæ virtutis opus : hujus si vel jacturam subeam , quot
 vulnera , tot ora geram , quæ in extincio etiam militarem
 extollent magnanimitatem . Surgit enim verò ad gloriam ,
 qui in arena cadit , nequè mortuos inter recensendus , qui
 gloriose occumbendo sibi famæ parit immortalitatem . Ibo
 igitur , ibo , si que medi perrumpendi acinaces , infractus ibo ;
 ultimam crux consecro guttam , optata modò Austræ
 stent trophæa . Ah invictè ! ô magnanime Heros ! perge ,
 quò avita majorum gloria , quò illustrissimi te sanguinis

splendor, quò viētrices avorum cerae, quò Martia te evo-
 cat virtus: perge, quò Austriaci triumphi ardor, quò famæ
 laureatæ sitis, quò Cæsar is te fortuna invitat; imò verò
 compone Martis æstum, sopi generofas Bellonæ flamas,
 Patriæ te potius conserva utilitati: metuo quippè, ne augur,
 & Vates ipse tibi lessum præcinuisse videaris: sed Decius es,
 devovere te pro Austria cupis, isti vitam, & sanguinem im-
 pendere suspiras; huic ut tantò tutiores evirescant laureæ,
 tu fulmina in te provocas; dilatare imperium Austriacum
 anhelas; hoc ut firmum in Italia figat pedem, tu libenter co-
 rues: bono Cæsar is denique militas, hoc ne belli turbine ti-
 tubet, tu procellas in te suscipis frangendas. Adeò nimirum
 verum est: Heröum vita pari cum sole passu procedit; hic ut
 luceat omnibus, occasum non recusat; illi patriæ, bonoque
 publico felicitatis meridiem explicant; cum Decio morti eti-
 am, millenisque se se devovere periculis non recusant. Sed
 jam Cæsareæ phalanges movent; jam militum agmina, reso-
 nante classico, se non tam bello, quam victoriae aptant; jam
 emenso fluvio hostiles per aggeres quaquaversum rimandus
 tentatur aditus; leones hic succenturiatas sub Aquilæ la-
 baris cohortes dixeris; ita illæ, non ullâ armorum vi, non
 ferro, & igne frænandæ medios perrumpunt per acinaces:
 fulmina credideris obices vel virorum aheneos robore suo
 conterentia: ut torrens, cum perfractis repagulis se se dif-
 fundit, sic Cæsareis signis omnes inimicorum stationes con-
 spexisses inundari: fuerat medijs hic militum immixtus glo-
 bis Thierhaimbius, qui jam consilio, jam præambulæ ma-
 gnanimitatis incentivo exemplo, non modicas cohorti Cæ-
 sareæ addidit flamas; adeò quidem, ut hostis arenâ ex-
 cedere, fogâ salutem querere, novosque præfago timore
 erectos refugij ad Badum portus relinquere sit coactus. Vah
 magnanimas Liliatæ virtutis prærogativas! vah immanes
 roboris vestri minas! sic in bellî limine galli jam herbam por-
 rigitis? quem ante hac ausis superbis etiam spernere non re-
 nuebatis, nunc orbe toto declaratis militem victorem? nî
 plu-

plumâ leviores, state, masculumque quid Cæsarei militis pē-
 etus possit, sentite: sed scio, timor addidit alas, nec ferre po-
 testis Austriaci Imperij gigantes, Gallicinum vespertinum
 satis lugubre jam professi: stant tamen, si vos stare recusa-
 tis; stant, imò progrediuntur invictæ Cæsaris Aquilæ, quæ
 secundâ rursus hostem expellentes statione ad Carpi usque,
 nunquam satis ob imbelles spiritus carpendos Gallos recede-
 re cogunt. Geminorum hic fluviorum decurrentes undarum
 rivi erubuere sanguine; quasi quorum quondam se tradide-
 rant potestati, facti velut pœnitentes erubescerent; pude-
 retque, decurrentes vel undas pro Austria non stabiles satis
 in fide fuisse. Interea recruduit rursus pugna, satisque jam
 probata Cæsarei militis victoria; utpote, quæ binas jam a-
 doreas à lilijs retulerat, pro coronide argumentum ponit
 fortissimum; quia in conspectu ipsius urbis tertio liliata ag-
 mina dicit in triumphum: cæduntur igitur, & tantâ suorum
 clade prælio galli imponunt epilogum, ut mille & quadragin-
 ti aliquot ipsa in arena herbam mordentes militi Cæsareo
 lauream relinquere sint coacti: O victoram profecto insig-
 nem! ô lauream verè celebrandam! ô arenam Austriae mul-
 tò gloriissimam. Verùm quis primas laureati hujus certa
 minis partes sibi vendicet? cui insignis hæc victoria in ac-
 ceptis venit referenda? sit sua Eugenio exercitus Imperatori,
 Austriaeque militiae Archi-Stratego, nec non Martio illi
 Annibali gloria longè maxima: sit & ducum aliorum me-
 moria immortalibus laudibus celebranda: tibi tamen Herö-
 um sidus invictissimum, infrae Bellonæ Athleta, Martium
 arenæ decus, universi sub Cæsareis auspicijs militantis exerci-
 tūs gloria, Illustrissime Comes de Thierhaimb; tibi non mino-
 ra hic partæ laureæ resonent encomia; tibi victoria hæc tri-
 butatia quoque audiat, & veſtigalis: cùm Decio enim Te pu-
 gnâſſe, cùm Decio Te viciſſe, cùm Decio (heu dolor) pro
 Austria, pro Cæſare, Te hic video occubuiſſe: Tu quippe
 ille, qui contra phalanges gallicas, easque copiosas cum
 quingentis ſolū Cæſareanis conſlixeras; Tu, qui inter me-

dias ignium globorumque tempestates primus in hostem ir-
rueras; Tu, qui acie furore hostili repulsam rursus exemplo
tuo ad redintegrandum prælium inciraveras; Tu, qui lilia-
tam contra potentiam primus in arenam descenderas. Op-
posuerat sanè hostis legiones fortissimas; sed easdem loco
cedere coegeristi: vallatus erat; sed invicto robore perrupisti:
aggeres exerat; sed Heroino ausu conscendisti: omnia
virtuti tuæ reddens pervia, quæ aheneus etiam hosti murus
videbantur. Ut fileam hic complures tuâ ipsius manu è vita
exturbatos; ne memorem generosissimo ausu eruptum Gal-
lie manibus vexillum; ne adducam, tñi ipsius pene imme-
morem extermis te periculis commisisse; illud unum, quan-
tum est, quod quaternis jam sauciis plagis ab inferenda ta-
men lilijs strage minimè destiteris; donec quinto, eoque fa-
tali heroum pectus vulnere in mortem inclinaretur: ô ma-
gnanimitatem profectò eximiam! ô fortitudinem verè Mar-
tiā! ô Decium denique nulli Romanorum secundum!
profectò quis exhibet jam summis Romanorum cum ducibus
conferendum Te inficiabitur? quis illorum in te revixisse
fortitudinem non suffragabitur? quis denique Decium verè
novum in te nostris concessum temporibus calculo suo non
est subscripturus? anne enim hic cum gallis manus conse-
ruit? nec Thierhaimbius alias, quam qui laureas inter lilia
etiam metere intendebat; anne hic vitæ, sanguinisque pro-
digus exstirrit, Patriæ ut clypeum opponeret salutis? sed &
Thierhaimbius ille, qui, ut Austriae vindicaret felicitatem,
se ipsum perdidit; ut illius propagaret imperium, impe-
rio se mortis subdidit; ut arma ejus starent illæsa, vulni-
bus etiam compluribus ipse cecidit sauciatus. Quid quod
Thierhaimbius ille fuerit, qui ad instar Decij Romulei illius e-
xercitus Imperatoris suo funere vitam armis, suo occasu
ortum victoriæ sui clade Austriae fundavit trophæa: non
ego hic loquar, loquantur illi, quorum sinus, vel extremum
trahentis exceptit spiritum; vel qui tragicæ necis testes, oculi
madentibus, suspirijsque migrantem animam sunt comi-
ta-

tati : quem tunc non induere martem ? quō efferrato luctu-
ne dicam, an furore unius in morte omnium acceptum vul-
nus vindice ulcisci acinace sunt conati ? annon tragico hoc
excitati spectaculo , & ipsi medios in hostes ruere ? an non
stimulante Herōis hujus morte lauream sunt consecuti ? fue-
rat profecto tunc exanime Ducis hujus corpus oculis suo-
rum obijcere , idem ac oleum Martijs affundere igniculis,
unde tantò crudelius exardesceret praelij incendium : fuit
adinstar Julij Cæsaris hujus videre vulnera , in vindictam ,
exterminiumque extremum hostium animari ; nimis ful-
men belli Thierhaimbius erat ; cadendo etiam hostes ferire
debebat : laurus fuerat , tunc maximè suis ad victoriam efflo-
rescens , cùm fatalibus ignibus in ruinam impelleretur ; vi-
ctoriae meridiem è mortis propinans tenebris , quām Roma-
næ virtuti assymbolum tenuerit funus , ostendit . Jam verò
si usque adeò factis , rerumque belli gestarum memoriâ De-
cium se verè secundum exhibuit , quid de virtutum ejus mili-
tarium gloriose edicam splendore , quō Romanæ illud
militiæ fidus Decium , non solū parasangis plurimis su-
peravit , verùm etiam penitus obscuravit ? Generosæ
enim mentis masculum robur velut primam Herōis Mar-
tij recensem notam ? erat Gradivi imago , militiæ vita ,
armorum anima , erat ipso vultu fulmina hostibus mini-
tans Jupiter ; ut , quis , quantusque miles in Thierhaim-
bio lateret , vel ipsa indice fronte legeretur . Magnanimi-
tatem commemorem ? inter mille pericula discurrebat intre-
pidus ; inter innumeratas vitæ scyllas progrediebatur securus ;
nihil vulnera , nihil mortem metuens , cui Herōus animus Ajacis
pro clypeo erat : fortitudinis ejus quæ prærogativæ exstite-
rint , vel in mortem usque excæcati videre hostes , quando
jam hominem esse non immerito dubitare potuissent , qui
supra humanam pugnans virtutem , solā morte , non Marte
se hominem ostendit : nihil hic de pietate raro foedere armis
conjuncta , nihil de belli dicam peritia ; illud ad extremum da-
te , ut , qui Capitolio Romano sanè dignissimum se se exhi-
buit ,

buit, jam verò cælestis in Capitolium est translatus, eundem brevitatem epinicio prosequamur. Grates ergò tibi, grates Heröi invictissimo; grates Martiae tuæ virtuti, qui sic felicitatis Austriacæ Atlantem egisti: occidisti; sed cum Hespero, nominis tui virtute, famaque semper fidus belli oriens postero etiam ab orbe celebrandus: occidisti; sed morte emens immortalitatem; gloriam stemmatis tui, Nobilissimæque Prospiciæ, vel sanguine proprio Apelles novus expreslurus. Regna nunc Sionis æterna in arce, qui in terra quondam pugnasti, triumpha gloriosus in astris, qui in campo laureatus obijsti.

Et quoniam Romanæ genti illud in more stetit, ut bene meritæ virtuti, vietricibusque Heroum umbris fortitudinis exhibitæ basilica poneret monumenta, illud hodie parentanti quoque Palladi concessum sit, non jam Nummæ alicui, aut Sergio statuam; non Horatio Coeliti ob devictum Etruscorum regem, sed tibi Decio secundo, sed Thierhaimbia virtuti, Heroi meritò Romanorum primos inter recensendo, colossum & pyramiden statuere: quare Phydiæ scalprum arripiens, dum Decij unâ, alterâ gloriissimi hujus Victoris describo occasum, ultimæ demum parti coronidis loco hanc præfigo Epigraphen:

Colossus hic Decio sacer,
Secundo quidem,
Minime tamen gestis, factisque secundo:
Januam quippe victoriæ Cæsareis referans
Aquilis,
Ipso cecidit in limine belli
Omen daturus Nomine,

Ut

Ut,

*Qui Thierhaimb dicebatur,
Ad apertam in Italia Jani portam
Domum mortis incola subiret.*

*Quid de factis quæris?
Excessere Pyramidem,
Quorum fama sidera contingebat.
Ejus dexteritas nunquam non sinistra ho-
stibus,*

*Illijs Magnanimitas adversæ semper pha-
langi minuebat animos;*

*In pœana semper Aquilis excitans Martem,
Quoties ferro tactum daret.*

*Cujus in signum ipsum deservijt insigne,
Altissimæ enim, martiæque virtuti suæ
Aptum inveniens symbolum,
Turrim elegit,*

*Pharia aut suis ad Victoriam turris,
Aut aheneus pro Austria murus futurus.*

*Cecidit copioso ab hoste accepto vulnere,
Pectus ut glorio sis tot literis,*

Quot vulneribus notaretur.

*Mortuo huic cupressos cave inseras,
Laureis enim natus, Laureatus Heros vixit;
Atque cum per mortem ad instar Daphnes
fugeret,*


In Laurum etiam transiit,
Quia in arena cadens
Virtute suâ suis peperit triumphum.
In cœlum porro jam translatus, capito-
lium tenet;
Pyramide tamen posteritas statuit,
Index
Ut esset,
Quod Victor avolârit.

Composuit

LAURENTIUS ANTONIUS VANOSSI
ex Archi-Ducali Convictorum Collegio.

PANE-







PANEGYRICUS FUNEBRIS II.

De M. Scæva,

SEU

DE COMITE DE LEININGEN.

I. Februarij Anno 1702. Cremonensi in actione laureata morte defuncto.



Omani orbis sidera nostri fuisse ævi prognostica, Herœsque antiquos tempore solūm, non item virtute sœcula nostra superâsse, & laureatæ tot certaminum arenæ, & invicta belli virtus, & triumphis assueta Cæsareorum armorum fortitudo testatur. Quid enim? anne Pompejos desideratis? sunt & nunc, qui trophyis insignes plurimis, dum campos victorijs, urbes & regna immortali non minùs famâ repleverunt: anne Scipiadas belli fulmina petitis? neque eos tempora nostra negaverunt; quibus adamante etiamnum fixū stat, pro patriæ tuenda felicitate, pro vindicanda Austriaœ salute ad extremam usque san. guinis guttam ensem denudare: an Marios vultis? & his par virtus pares quoque nomine dedit Herœs; quando & nostro ævo inveniuntur ij, qui de subeuntibus Italiani Lilijs victores; qui non tam Jugurtham aliquem, quam Villa Regium in triumphum duxere. Adeò nimirūm verum est, Romana sœcula in nostra transiisse; neque antiquam Herœum virtutem tanto temporis intervallo emarcuisse, velut quæ nostro etiamnūm sole adeò gloriose evirescit. Quod tamen acerbo lu&tu prosequendum, illud est, quod cū m

virtutis Romanæ hodie dūm videamus æmulos, cūm Romanis mortuali non minūs cupresso eorum laureas conspiciamus involvi; præciso vitæ filo immortales animos in urnas etiam nūm audiamus recondi. Unum ē pluribus percipite; qui cūm Martis Austriaci fuisset anima, nuper expiravit; cūm splendor exercitū Cæsarei, mortis umbris est involutus; cūm gemma fuisset militum, inter cineres amodò delitescit. Si nomen vultis; alter Scæva est: si gesta exquiritis; Romani is Heröis dignus elogio: si vulnus renovari denique non refugitis; Comes de Leiningen est: Dē Leiningen, quem traduce languine natura Martijs instruxit igniculis, animi generositas Gradivi vivam effecit imaginem, sagacitas bellique virtus non nisi triumphis designavit: Comes de Leiningen, cujus in Aquilas effusum amorem prodiga vi & indigitavit fortitudo; cujus obsequiosum in Principe i suum affectum declaravit, vel propriō sanguine subscripta magnanimitas; cujus in Cæsarem fidelitatem militaris in Hispania Balthei repudium comprobavit. Romanum profectō ducem: quodsi Romano-rum quondam fuit agere, & patifortia, hoc in Heröe illud controversum non minūs sit, plurāne pro Cæsare egerit, an fortissimè sit perppersus: Romanum, quia Romanis bellantem sub signis: Romanum denique, quia Romanā fortitudine pro Romani Imperij sole decertantem. Ite jam, quicunque Heröis hujus immortalia gesta festivis excipientes jubilis, vel præliantem quondam deprædicāstis militem, vel Victorem dilaudāstis, vel triumphantem votis vestris coronāstis: Ite in lachrymas, in luctus jam oculos, jam & ora resolvite: Ite, qui Paxana quondam acclamāstis, nunc extincto lessum accinite; Epinicion in Epicedion commutate. Exigit hoc grata gloriofissimè pro Austria occumbentis memoria; exigit Heröica in arena bellicā magnanimitas; exigit supervictura itentidem Athletæ invictissimi in Austriam fidelitas. Ego interea, qui in defuncti victoriosis cineribus Romanum adoro Ducem, cumque

que talem, quem orbis Austriacus præoptasset sibi potius concedi nunquam, quām adeò præmaturo abripi funere; Scævam secundum, primō tamen majorem vobis in Comite de Leiningen comprobo occubuisse.

Quid scævam esse sit, sensere adversæ hostium phalanges, quorum effrænè robur unus ille fortitudine suā domuit: conspexere Romana castra, quorum in oculis inertem suorum fugam ab hoste vindicavit: Cæsar ipse Romuleæ gentis Princeps expertus est, quando in hoc se belli Achillem gerere, quōd inimicorum prosterneret audaciam; se habere scutum, quōd eorum retunderet machinas; Atlantem denique in illo sibi obtigisse contestatus est, qui militaris fortunæ, felicitatisque bellicæ unus stabilitet securitatem. Erat Scæva Romanos inter Heröas, quod sol inter minora sidera: ut ad præsentiam hujus aliorum splendorum tulatur astrorum, ita in comparationem vocata Heröum aliorum gloria Scævæ herbam porrigerem cogebaratur. Erat Scæva, quod inter arbores Palma; hæc ut reliquis eminet altior, ita & ille reliquis virtute Martiā parasangis plurimis palmam præripiebat. Forsitan Cæsaris signa ad tentandam belli aleam hostilis provocaverat exercitus, jamque classici resonante signo omnes in arma ruerant; cum nescio quonam fato, atque à Romana fortitudine maximè degeneri timore omnes, quām inconstantem Principi servarent fidem, levi fugâ sunt professi. Unus in arena (Viterne dicam, an Pugil) Scæva Cæsaris gloriam, justamque belli causam defensurus, se stando virum comprobavit. Volitabant quidem minitantia mortem, integra telorum agmina; sed non recedebat Scæva. Imminebat feralis saxorum grando; sed non recedebat Scæva: omnis hostilis tempestas unius ipsius in caput ferebatur, unus ipse inimici furoris, metaque armorum fuerat effectus; sed non recedebat Scæva. Petram dixisses circumstrepentibus licet prælij involutam fluëtibus, attamen adamantinâ in Cæsarem fide nè lato quidem ungue motam: laurum affir-

mâsses tot inter fulmina , quot necis pericula , semper tamen forti fidelitate , fidi fortitudine evirescentem : docet tandem iniquo adversantis fortunæ fato , amissis armis , confracto chalybe , scuto centum viginti ictibus terebrato , quâm verè pro Cæsare vel unus pugnare paratus abunde docens , in tutiora se se recipere sit coæctus . O Scævam , sed Heröem virtute humanâ majorem ! O inauditum Magnanimæ mentis spectaculum ! O rarum fidelitatis prodigium ! O Virtutem Herculeis ausis majorem ! Nescio , an ad exagratam Romanæ Virtutis commendationem quid amplius excogitari ; an ad ejus comprobandum lydio lapide generositatem aliquid plus inveniri ; an demum vel pro Cæsare fortius , vel Scævæ generosius quidquam contingere potuisset . Verùm ut ut magna Scævæ generositas fastigium Virtutis Martiæ assoluta sit , palmam tamen hodie porrigere cogitur illi , quem ætas nostra novum edidit , Hispania secundum suspexit , Vienna alterum deputavit , Italia non sine admiratione verum experta est Scævam Comitem de Leiningen . Est hic , qui in Hispanijs adversus Liliatos Galliæ cristas diu multumque decertavit ; qui per complures aristas pro Hispania , & in Hispania pro Austria Martem sustinuit ; qui pro utriusque domûs augusto dilatando Imperio vitæ , sanguinisque prodigus existit ; qui plurimarum laurearum messem ab hoste collegit ; qui sicut Strategi munere functus , ita ad illud virtute suâ unicè est eluctatus . Est hic , qui post Caroli obitum , inundante Iberiæ terras ambitione Gallicâ , unus se torrenti opposuit , qui cunctis Hispaniæ castris Lilia induentibus , Lilia estaversatus ; qui solus deficientibus reliquis pro Aquilis intrepidus stetit . Est hic , quem non fortuna , non dignitatum jactura eò movere potuit , ut adversus Aquilas in campo stipendia mereretur ; cui potius in votis bonis omnibus exui , quâm fidelitatem in Cæsarem exuere ; cui magis statutum cum Strategi munere etiam signis vale remittere , quâm in Austriaci orbis Principem jurato cum hoste consur-

surgere ; qui denique militarem baltheum praelegit depo-
nere, quam sanguine Cæsarei militis illum cruentare. In
quibus sanè omnibus quid nisi verè similis, imò, & Roma-
nô illo Scævâ superior Comes de Leiningen exstitit? Anne
enim hic contra Patriæ inimicas decertavit phalanges? At
hic non jam contra Patriæ, sed orbis totius Austriaco-Hi-
spani hostem in arenam processit: annè iste pro Romano
quopiam Principe campum subiit? at hic pro Europæ Re-
gum celeberrimo, & vel Cæsare illo majore, Carolo nimi-
rum, classica cecinit: anne vitam, & sanguinem contra
plurimos decertans, exposuit Scæva semel? Verùm iste in-
numeris propè temporibus generositate Martia extremis
se propinavit periculis: anne in propudiosa omnium
ex acie fuga suam ille Cæsari probavit fidem? at majorem
longè Cæsareis ille Aquilis, Romani Imperij Jovi, æmulan-
te Galli cantum Hispano Marte fidelitatem testatam fecit?
annè demùm ille amisso clypeo, & galeâ, calybeque fracto
inermis ex arena decepsit? sed non solum clypeo destitutus,
& armis, sed legione suis militante sub auspicijs, sed mili-
tia sponte se abdicans præfecturâ, pro Cæsare, honoris, for-
tunarumque subiit jacturam. Subiit jacturam: non ad
hanc fortassis plurimarum spe allectus opum; non amplio-
ris dignitatis subnixus promissis; at subiit jacturam solo
generosi sanguinis impulsus ardore, solo in Alaudas actus
affetu, solis amoris velut Herculis Gallicani attractus ca-
tenis, sola in Domum Austriacam fidelitate stimulatus.
Subiit jacturam: & tunc quidem, cùm liberalis Liliorum, &
honoris, & stipendij militaris augendi invitabat fides; cùm
vel ipsa confusa belli ratio cedendum magis tempori, quam
delitescerentem in animo Austriadum amorem in lucem us-
que adeò periculose suadebat evulgandum. Profecto næ
hunc ego jam Scævam verè alterum? næ invicti ipsius Scæ-
væ dixerim triumphatorem? næ militem Virtute omni Ro-
manâ majorem? næ Heröem nulli fortitudinis Martiæ pro-
digio affirmârim secundum? sanè nî fallor, nunquam usque

adeō bellē Miltiadis augusta facinora in se delineavit The-
 mistocles ; nunquam Achillis insignia gesta adeō bene ex-
 pressit Maceđo ; nunquam Julius Cæsar Alexandrum adeō
 præclarè suis ōbi repræsentavit trophæis , quām vitæ se-
 rie , facinorumq; præsertim hujus gloriosissimis monu-
 mentis Romano orbi Romanum Scævam Comes de Lei-
 ningen in se dedit , exhibuit , repræsentavit . Sed licet
 hic ad cæptam Martiæ in Scæva Virtutis enarrationem ora-
 tionis cursum rursus reflectere ; licet ad Romanorum re-
 dire annales ; quemque usque adeō magnanimum in arena
 conspeximus , nunc de gesti serie Cæsarem percipiamus
 edocentem . Rediſt Martis ē circa sine ferro , sine umbo
 ne Scæva , Bellonæ omni exutus apparatu , nisi quod he-
 rōo animi robore armis omnibus fortiore , nunquam exui
 potuerit : ad suos reverti sanè fixum erat ; neque tamen ,
 quam legeret , via patebat : nam tumultuantes vasti flumi-
 nis procellæ hinc spem intercidebant ; ibi hostilium ca-
 strorum signa majorem adhuc remoram obijciebant ; hic in-
 accessum iter tellus , ibi unda parabat ; per undas attamen ,
 fluctusque Neptuni ei , qui Martis procellas superaverat ,
 ire visum : fors ut fallaci quoque in elemento suam probet
 fidem , quam anteā barbaro coram hoste ad orbis ostentâ-
 rat admirationem ; fors ut insatiabilem pro Cæsare vincen-
 di sitem suis declararet . Masculo ergo peñore in flumen in-
 filiens sine cymba , vel rati ; sine velis , aut remo ; quin ge-
 mino adhuc thorace ferreo cinctus in fortunatas votorum
 suorum tendit insulas . Obstupuisse hic ad ausus tantos
 geminas fluvij ripas . quin ipsas attonitas cursum stitisse
 aquas , quis non credat ? sed pergit ille submergendus
 nunquā , quem virtus bellica , magnanimaq; in Principem
 fidelitas semper in altum levabat : donec tandem post lon-
 gas , multasque spem inter , & metum in aquis dilapsas
 moras , portum Scæva assequitur , cum portū portum no-
 vis , ijsque felicioribus bellis aperturus . Quid hic egisse
 ad primum herōis hujus conspectum turpi fugā anteā dila-

p̄sa putatis castra? rubore suffundi sanè opus fuisset, n̄i fa-
 c̄torum tantorum magnitudo prop̄e fide major ad unum
 omnes stupore defixos reliquisset. Scæva porrò lunato po-
 plite coram Cæsare procidens, aliud deplorat, & lamenta-
 tur nihil, quām: arma o Cæsar perdidi. Arma, quibus tro-
 phæum tibi Princeps par fuisset instruere; arma, quibus
 laurearum messem decuisset colligere; arma, quæ Martia
 velut dos tibi Daphnen, id est victoriam in Iponsam addu-
 cendi fuēre consignata; Perdidi: non defuit sanè animus,
 aut pugnantis constans ardor, non deses ipsem et ea tra-
 dendo hostibus in triumphum cessi; non meā vecordiā
 amisi; at perdidi, vel ita præliando, ut ferri acies obtun-
 deretur; ita configendo, ut inimico cruento chalybs ni-
 miūm accenderetur; ita manus conserendo, ut ferrum
 prius, quām animus mihi frangeretur. Perdidi: non re-
 cuso in arenam rursus descendere; non refugio cruenta in
 campo certamina; imò magis lituos anhelo: da novos aci-
 naces, remeabo; & solus etiam adversa cum phalange bel-
 lum redintegrabo: da scutum, & cassidem; perfidam nu-
 per fortunam ad ultimam usque Thulen persequens, melio-
 rem procabor; in casses lauream, & Victoriam tibi faciam
 venire. His, similibusque dictis, simul ave, simul & vale
 dicens Cæsari, nova Exercitus anima sese ad suos contulit,
 eosdem virtute novâ Martiā ad certamina, ad pugnas, ad
 triumphos instructurus. Adeste h̄ic quicunque defundi
 nuper Illustrissimi Herōis, Comitis de Leiningen immorta-
 lia gesta pro Familiæ universæ gloriâ, vel cum Appelle ad-
 umbrare coloribus, vel cum Phydia elaborare scalpro, vel
 cum Polycleto perenni in marmore posteritati consecrare
 desudatis; adeste, numquæ aptiorem Herōi tanto, af-
 symbolamque magis imaginem, quām rursum Scævam in-
 veniatis, edicite: Video quippe, & hunc non jam per in-
 surgentes undarum tumultus, sed magis per periculorum
 mille anfractus; non inter fluminum procellas, sed perse-
 cutionum potius impendentium fluctus; non inter aqua-
 rum

rum vortices , sed fortunarum magis scyllas , & Charybdes ad Cæsarem , ad Leopoldum ex Hispania in Austriam eluctari ; conspicio eundem ad Aulæ totius admirationem belli fulmen , nunc inerme : Martis sydus , jam sine honoris militaris luce : armorum quondam Hispаниorum basim , jam militum robore destitutum : Strategum arenæ , nunc sine baltheo Viennam remeare : intueor demùm , & illum coram Augustissimo Romani Imperij Jove / fatumnè dicam Hispaniæ deplorantem , an delitescentes magis Martis flammas explicantem) ijs itentidem orationem ordiri querelis : Parce orbis Monarcha potentissime ! parce Germaniæ Atlas fortissime ! parce Romanorum Imperatorum maxime ! Principum omnium Alpha parce ! arma , quorum æstu congregantes sese ad obscurandum Austriæ solem inimicas nubes dispellere debebam ; arma , quibus in te , Regnumque tuum (quia contra Hispaniam) insurgen tem gigantonomachiam supprimere oportebat ; arma , quibus titubantes diu Principum reliquorum animos velut hoc uno pondere in te inclinare par erat , illa perdidit ; imò , ut , quod res est , edicam , amore tui amisi ; amore : exarmavit enim armatum amor , quod hostili pro centro Imperij totius cor noluerim objicere : destituit militaribus signis in Aquilas constans pietas , quod inimicus magis mihi ipsi , quam his esse elegerim : baltheo exuit indutus Austriam affectus , quod fortunarum potius naufragium omnium , quam in vela blandientes Galli admittere Zephyros decrevi : hæc una causa , cur castra linquere , Martis stationem deserere , excedere campo , in vaginam ferrum recondere ; queisque imperabam , legionibus vale dare animo firmum , fixumque steterit . Verum habeat sibi Hispania jam in Hispanijs quærenda , sua , quibus me adversus Cæsarem pugnare detrectantem orbavit , signa : habeat , quem liliato militi viduatum Stratagi jam supplevit , locum : habeat arma : habeat Ducis quondam sui Martis cohortes : cum Annibale juratum mihi in Austriæ hostes bellum assero ; cum

Epaminonda, aut cum hoc, aut in hoc (Aqilarum nimirum insigni) vel vincere, vel mori adamante est statutum. Tuum illud est Imperator augustissime decernere, ubi secundam belli horam præstolari, ubi illustrem triumphis diem gloriæ tuæ jubeas accendi; si libet, ut Imperiales subeā plagas; unum sufficit imperium, ut instabilem alijs fortunæ rotam in tuam per bella firmem felicitatem: Italiam ingredi imperas? & è Lilieto lauretum Alaudis efficiam; demetendo hæc, domum Austriae declarabo laureatam. Nec promptius dictum, quam factum; non liberaliora promittentis verba, quam in pugnam ruentis facinora. Italiae quippe mox alpes subit; mox inaudito, & vel ipsis hostibus admirando robore illas cum Eugenio superat; jam castra adversus Gallias metatur; certaminum sicut ferè omnium comes, ita & omnium socius pariter audit victoriarum. O Scævam profecto! Scævam verè secundum! Scævam, quia fidelitatis prodigium: Scævam, quia Martiæ magnanimitatis portentum: Scævam, quia pro Cæsare militem fortissimum. Scævam novum! quia in hoc, & Austria aheneum murum, & Imperator impavidum belli fulmen, & tota denique militia Heròem obtigisse sibi sensit bellicosissimum. Scævam alterum! quia cum Romano & hic armorum suorum subiit jacturam; quia cum illo, & iste per remotas regiones exul ad Cæsarem penetravit; qui cum hoc, & de Leiningen secundò in arenam processit: quid dico, in arenam processit? audite, qualiter vel pro Aquilis occubuerit, occumbendo sanguinem, vitamque dederit. Fortassis Eugenius belli Imperator fortissimus cum doloso hoste dolo rem aucturus Cremonense præsidium armorum suorum constituerat metam; atque in illud non tam aper-tâ vi, quam occultis machinis penetrare nitebatur: qui prosuscepti operis felicibus auspicijs delecti fuere, Herœs erant, Ducesque vel ipso Marte superiores; hos inter Comes de Leiningen, qui, quam invictam in urbis hojus arena suam probârit operam, quis dicendo explicet? quis sufficiat

ciat enarrando ? jam Aquilæ Cremonensis præsidij expugnaverant portas ; jam tubarum , tympanorumque clangores Austriacos per urbem promulgaverant triumphos ; cùm collecta hostilium signorum copia pectus pectori oppouere , vim vi retundere attentabat : ingruebant undique ignæ globorum tempestates ; desæviebat ferrearum pilorum grando ; omnia Bellonæ flammis peritura videbantur. Stetit tamen, stetit Comes de Leiningen , & stricto mucrone tota propè die certamini intentus , nunc inter fulmineas hostium iras discurrebat intrepidus , nunc ignivomos hostium furores excipiebat impavidus , inter flamas , & Martios ignes imperteritus gradiebatur : jam animare ille cohortes ; jam in phalanges disponere legiones ; jam per forum & mænia distribuere ; jam cum hac , jam cum ista manus conferre catervâ , donec tandem ferali , nescio , quo impetu in pectus ejus glande ferreâ actâ , quem laureis educaverat virtus , hunc fati communis ratio fatali cupresso involvit ; isque Cremonensi in arena obiit , qui immortalem in hac laudem sibi fuerat adeptus . Ah jaces ! jaces Scæva alter ! neque tam è vulnerum tuorum ore sanguinem quâm gloriæ fluenta emitis : jaces oculis clausis ! qui hostilem roties spectavere interitum : jaces labijs in mortem pallentibus ! queis Pæana Austriae accinere intendebas : jaces virtute suâ destitutâ dexterâ , quæ pro Aquilis tot laureas metere parabat : jaces exanimato corde , quod in Leopoldum tot sinceri amoris alebat flamas , quot propè anhelitus trahebat : jaces demùm in medio victoriarum cursu , fato prostratis pedibus , qui ad bravium Austriacæ gloriæ bene adeò currebant . Nimirum , ut quondam Scæva pro Cæatre , sic , & tu pro Imperatore ; sicut iste , ut illatas Cæsari vindicaret injurias , sic hodie tu , ut per injuriam summam erepta Leopoldo regna vindicares , è vivis , è terris abijsti , excessisti , migrâsti . Migrâsti ! habeat jam arena , & in arena tota Italia , quô ad fidelitatem in Principem suum instruatur exemplô : migrâsti ! habeant bellicosa militum

agmi-

agmina, quô fortitudinem, magnanimitatem, invictum-
que robur edoceantur : migrâsti ! habeat posterus orbis
universus, quô in te intelligat tempore quoque nostro
Scævam extitisse Romanum. Nos interrea, quô tandem
funereo apparatu lugubre hoc mortis excipiems specta-
culum ? quô crudele in herœm tantum Parcarum imperium
luctu sumus prosecuturi ? excrescens dolor, Martis in are-
na extincto pugili Martium erigere denegat castrum : cur-
rui triumphali exanimes imponemus cineres ? feliciore
apotheosi, in sidera, in capitolium cælestè translatus ; terre-
nos fastidit triumphos : illud agamus, ut quoniam non ni-
si æternâ memoriâ digna Comes de Leiningen gessit, ejus-
dem memoriam subsecuturis quoque sæculis transcriba-
mus : Martijs proin ex armis trophæum erigimus , cujus
verticem Romanus ille Scæva tenens, dum inter lemniscas
tas operis gratias, hinc fidelitas repudiatum sponte jaëtat
baltheum ; ibi fortitudo militaris viëtorem lauro gladium
coronat ; ad basim inter Parcas mors lugens sequentem
porrigat epigraphen.

Silete antiquæ fortitudinis monumenta,
Victrices Romanorum toties animatæ,
Tacet tubæ !

Quem ante sæcula gloriosum Romuleæ
Gentis imagines Scævam perhibent ,
Ætas quoque nostra , licet secundum ,
Primotamen virtute priorem peperit .

Comes de Leiningen est.

Semper inclinans in lauros, donec, cupressum pro lauro legens ,
In Campo Martis invenerit mortem.

Quàm verè hic Scæva, sensere hostes ,
Qui exercitum integrum in uno repe-
rientes , Non

Non nisi sœvum pro Austria vindicem
suspirârunt.

Baltheum pro Aquilis posuit;
Sat ornatus honorum insignibus; si non albicantes
Gallia nummos,

At justam Austriae propugnaret causam.
A Lilijs fugiens, ad Lilia transivit, & rosas,

Ibi quæsitus dilectum,
Qui, cum candidus sit, simul etiam est rubicundus.
Quia Cæsar Austriacus.

Posuit Cremonæ vitam, tubâ intumbam
versâ;

Licet frenduerit fama,
Quæ Herde hōc uti volebat ad immortale
Leopoldi gloriam.

Magna illius anima victricem se sciens,
Vitis plagæ angustijs se se contraxit,
Ut exire posset minimo ostio, per quod
globus intravit.

Tu, qui trophæum aspicis, Martem tamen
ad trophæum lugentem miraris,
Cum vertice statuæ plaudere, cum basi luge.

Composuit,

FRANCISCUS CAROLUS JOSEPHUS TOSCH,
ex Archi-Ducali Convictorum Collegio.



3

A. Frost f.







PANEGYRICUS FUNEBRIS III.

De

Manlio Capitolino

S E U

C O M I T E
DE
DIETRICHSTEIN.

Ad Cremonam pro Austria Capitolio 1. Februarij fortiter decertante, & ex ilnere paulo post in castris gloriosè vivis excede. e eodem Mense Februatio

Anno 1702.

Rgò ideò triumphalibus laureis insignienda erat hyemis gloriofissimæ fecunditas, ut feraces demum heròum tumulis cupressos germinarat? ideò in ipsas usque nubes Mavortiæ trophæum gloriæ Cæsareo Marti evehendum erat, quò in lugubre demum doloris castrum acerbissimâ libitinæ invidiâ converteretur? ideò viðtriciū armorum splendor à victo nuper oriente in occidentem rapitus, solis iter emetiri debuerat, quò ferocibus demum lethi tenebris, & lachrymarum funebrium oceano cum occidente Phœbo sepeliretur? ideò festiva nuper applaudentium Mavortiæ virtutis gloriæ acroamata laureatae famæ clangoribus perstrepuerant, quò infautis demum plangoribus, & abruptos inter singultus fractis verborum periodis in feralem doloris lessum prorumpere cogeremur? Effundere in luctus anime, & altius solito in te dolor de-

scendat! dum crudelitati suæ fata limites nulos statuunt,
 & tuo modus nullus sit dolor! nec quando heroo in san-
 guine Parcarum ludit crudelitas, dolentium lachrymis pre-
 tum illum habeatur. Occubuit. O sortem! O mortem!
 O sanguinem heroinum! ne sanguineis quidem lachrymis
 satis deplorandū! Ite! ite nunc invictæ hastenūs tanto sub
 vertice phalanges; recondite innutritos victoriis gladios;
 & galeas non nisi cruento hostium madescere affvetas,
 feralibus lachrymis humestate! Occubuit! O sine lege sæ-
 vientes fatileges! O casum, felicitatis nostræ occasum! sub-
 mittite jam, non nisi hostium pectoribus infigi solita, nunc
 infaustum Libitinæ instrumentum, bastilia; fasces invertite;
 & reclini in terram apice doloris vestri monumenta solo
 inarate. Occubuit! O immanem Libitinæ manum! O Par-
 cas! in heroa vitæ stamina semper parcissimas! Agite, nunc
 thoraces dissolvite, infringite scuta, & copiosa inter lamen-
 ta ferale doloris pegma exornate. Occubuit! quem in gra-
 viissimi momenti calibus Delegatum selegit Cæsar; excepit
 Cella; Hanoveranus coluit; Belgium deprædicavit; in toga
 Cato, in armis Mavors; inter Herœs fortissimus, inter for-
 tes bellacissimus, inter bellaces invictissimus; Mavortis glo-
 rìa, belli fulmèm, armorum vigor, virens ac spirans tro-
 phæum gloriæ, Cæsarei exercitus victoriosum germe oc-
 cubuit Dietrichsteinius. Quid hic aut ad dolorem gravius,
 aut ad cladem funestius, aut ad omnium lachrymas acer-
 bius dici posset? uno in nomine & hostium tripudia, & vul-
 nus nostrum, & omnium lachrymas complector.

Verùm quò me degener animi luctus abripuit? Itanè
 imbellibus lachrymis Heroos manes infestamus? imbellè
 vulnus lachrymæ suorum abluant; Heroum vulnera non
 nisi hostium aut lachrymis aut sanguine eluuntur: nec He-
 roum inferiæ infestâ auribus nœniâ, aut lessis, sed stillantium
 sanguine hostiles inter catervas vulnerum commemora-
 tione ad veram Mavortij luctûs majestatem peraguntur.
 Pareo Heroi manes, victorum reliquiae, triumphorum an-

tesignani, patriæ invicti indigetes ; &, dum heroinam invictissimi Comitis virtutem inter hostium strages gloriose decertantem , decertando cadentem , cadendo in novas semper hostium clades suorum dexteris, etiam post fata insurgentem , applausu , lachrymis , laudeque immortali prosequor ; neminem fore existimo , qui non illud Annæ Seneca effatum invictissimis acclamet manibus : plus vide. licet invictissimo Duci gloriæ , Aquilis victoriæ , hostibus terroris , & cladi , quām sanguinis lethali è vulnere profluxisse . Quòd si cum summis vetustatis Mavortiæ Heroibus in comparationem adduci posse aliquid, etiam ad gloriam , virtutisque nomen momenti habeat ; vel hoc uno sumnum te gloriæ immortalitatisque apicem occupasse palam edico Heros invictissime , dum eximiam virtutem tuam Capitolino illo Manlio, Gallorum clade, Imperij Servatore, magno Mavortis Filio vel Româ teste , laude bellicâ exhibeo superiorem.

Maniana quondam imperia fortissima , sed & Maniana non minùs Illustrissima gesta ; quòd inter siderum splendores aureâ lucis cyclade superbiens Phœbus ; hoc Romanæ inter militiæ luminaria Manliorum virtus : si dispensante hōc luminis sui flamas , illustrantur cuncta ; Manlij certè viritate , quis Romanis copijs gloriæ , fortitudinisque plurimum accessisse inficietur ? si, eō ardente, orbi diem nasci necesse est ; generosi Manlij ignes vietricem Romæ non minùs accendere lucem , quando capitolii solius ipsius virtute à Gallis illæsum , ab hoste stetit servatum . Erat ille Martij animi ectypion ; erat heroini pectoris idea ; arenæ anima ; ad laureas , & victorias Romuleis signis cynosura : Vix ephœbos egressus , jam Martem induerat ; quaterna nondum emensus lustra , jam vietricia fortitudinis suæ monimenta , spolia ab hoste retulerat ; ille omnium primus muralem , mox bis ternas coronas civicas obtinuit ; ille triginta septem Romana à gente invictæ virtutis suæ sibi præmia vendicavit . Militem profecto , Duce que Romanum glo-

glorioſſimum! militem, cui laureati fasti non immeritò
 honorem, vičtrix fama nomen det immortale. Ut ut ta-
 men magna Manlij quondam virtus ad Martiæ apicem
 gloriæ fit eluctata; palmam hodie porrigere cogitur illi,
 quem à nominis Dietrichsteinij etymo, non nisi fortunatam
 ad Jani portam pro victorijs reſerandam, clavim; quem non
 niſi lapidem offenſionis phalangis hostilis; quem deni-
 que Manlio ſuperiorem non immeritò prædicamus: ut
 enim quām plurima, eaque fortissima Ducis hujus geſta
 præteream, queis retexendis ne Ilias quidem ſufficeret;
 qualia fortassis eſſent, in ipſo Martis nativo ſolo Thracum
 inter, Sauromatūmque clades, poſitum militaris gloriæ ru-
 dimentum; aut certè per universam latè Ungariam vičtricia
 raptata labara; ut ſileam ejusdem laureato cruentum ferro
 Rhenum, ſubactam Moguntiam, receptam Bonnam, ſer-
 vatum Gallicana ab irruptione Imperiū; ne adducam
 hostilibus tepentem cladibus Margſiam, & Sargetiam, con-
 cufsum ab illo Belgradum, Portam ferreanam, ferreo robore
 propugnatam; quis non videt unam nobis Italiam, & in
 Italia Cremonam abundantissimam argumenti ſuggerere
 copiam, unde Dietrichſteinum Heroēm non jam Romanæ
 ætatis æmulum, ſed & parafangis plurimis Manlio, atque
 in Manlio universa Romanorum virtute credamus ſupe-
 riorem. Quid enim? objicie oculis diſſicillimum illud in-
 vičtæ ejusdem virtutis experimentum; cernite tot jam re-
 trō ſæculis decantatam bellicarum Cremonæ ſubſtruclio-
 num gloriam; urbem hostilium armorum ſedem, omni ap-
 paratuſ genere florentiſſimam, refertam viris, vigentem
 viribus, & ipsa audaciſ Turni ſui præſentiā animatam con-
 ſiderate. Intuemini hinc eductas in coelum pinnas; fre-
 mentem præliantium tumultu urbem; reboantia in moeni-
 bus currulium machinarum fulmina; incertam mediā ho-
 ſtium urbe conclusorum Commilitonum aleam; illinc ag-
 gestos opere lunato aggeres, infestas lectiſſimi ex Hybernia
 militis cohortes, crepitantem omni ex parte in inferentes

se se Aquilas ferrearum pilarum grandinem ; inde immi-
nentes jam jam armorum hostilium auxiliares copias , flu-
men superatu arduum , visu terrificum , hostilibus undique
septum aggeribus , omnia præsentissimo Martis discrimine
metuenda . Perhorrescitis arbitror ; vel ad solam feralis
scenæ commemorationem , & si objectas animo rerum fu-
nestarum imagines felici fugâ declinare liceat , nè Persei
quidem talaria , nec Bellerophontis alata equilia fugam
properantibus suffecerint ; sed audite , & Eugenium supre-
num illum exercitū Cæsarei Imperatorem , semideum
belli Archistrategum , Bellonâ & Marte satum Heröem in-
victissimum audite , ijsque jam jam sub papilione verbis
pro arena hac Dietrichsteinio partes percipite deferentem :
pro capitolio hodie Dux bellicosissime , neque tam Roma-
no , quām Austriaco certandum est ; pro Capitolio non
tam in defensionem Jovis alicujus Capitolini , quām Au-
striaci Jovis ad imperium dilatandum , pro Domo , inquam ,
Austriacâ . inaudita quæpiam in Italiæ theatro orbi hodie
Martis scena est pandenda ; Cremona in casses , in Aquila-
rum unguis est redigenda : singulorum hic , quidquid Martij
pecl̄9 nutrit spiritus , desideratur magnanimitas : alij intra
præsidij muros , extra portas , & valla alij viam optatæ ster-
nent victoriæ ; tu porrò Atlantem difficillimi hujus operis
non minùs agas , necesse est ; tibi summi in rem nostram mo-
menti commendo provinciam ; tot jam non murales aut
civicas , sed imortalis gloriæ obtentas coronas opere hoc
coronato ; ostendasque , quounque ferrum cadit tuum ,
ibi laureas te metere , fortitudine , & industriâ tuâ novisse .
Hæc anne verba , an flammæ magis succenso aliunde Mar-
tis ignibus animo fuerint ? dubito sanè ; illud certum est ,
sicut Dietrichsteinianæ virtuti haud fortior ad subeunda
discrimina impulsus unquam extitit , quām ipsa discrimi-
num magnitudo ; ita percepto consilio eandem totam in
prælia exarsisse ; statuisseque , cum vitæ etiam sanguinisque
effusione in arena cadere potius , quām elusis victoriæ ma-

chinis, adeò bellâ capessendæ urbis spe amissâ, in castra re-
infectâ redire: & verò herous quid ausit animus, nullius-
que pavida fati mentis virtus, exhibuit opus: jam enim
cum Manlio ad Cremonam pro Austricæ Capitolio, pro Jo-
ve Austricaco Dietrichsteinum fortissimè pugnantem in-
tueor; video medias inter hostium phalanges eundem in-
trepidum, inter suorum funera invictum, per medios ho-
stium cuneos, per conferta globorum agmina, per stagnan-
tes sanguine paludes, & instratam quâ suorum, quâ ho-
stium cadaveribus Mavortis arenam, vi ac ferro sibi ad vi-
ctoriam aditum conspicio aperientem: video nunc suos
animantem ad prælia, nunc præambulâ virtute suâ in bella
provocantem: jam vi, & heroo fremitu Liliatos confun-
dentem animos, extremam denique stragem, extermini-
umque intentantem: video triumphali vultu, fulmineo
impetu, ardentibus oculis, Mavortiaque majestate adver-
sis fese inferre manipulis, voce tonitrua, oculis fulgetra,
ferro ac manu exitiale hostibus fulmen minantem; id unum
agere, urgere, anhelare, quò deprælianti intra unius ur-
bis angustias, adversus totos hostium exercitus exiguae
commilitonum manui, celeriliceat subsidio advenire. O
eximium enimverò Manlij animum! O pugnantis pro Au-
striaco Capitolio insignem generositatem! O ausus Roma-
næ virtuti verè æmulos (erravi) Romanis ipsis laureis su-
periores! & verò quid nî? anne enim Manlium illum Capi-
tolini Jovis laureatum vindicem, verè aquilam, fulmina, &
fulgetra in hostes jacientem fuisse edictis? attamen aqui-
la hæc nonnisi umbras, non nisi nidum sapuit; velut quæ
infirmitatis suæ conscia, cavernis, & scopulis unicè se gestijt
continere; dum invicta virtus tua Heros gloriofissime ea
fuit, quæ libero gaudens solo, & aëre invictæ fortitudinis
tuæ fulmina non jam ex abdito, sed aperto in campo con-
tendit eliberare: anne magnum quid, & heroi prorsus ani-
mi argumentum affirmatis? quod pro Capitolio unius vi-
ri virtus contra fortissimorum hostium manipulos decer-
tarit,

târit ; quôd pro honoris templo Manlius caput , & pectus
 opposuerit ; quôd ab inermi armati , à consternato fortis ,
 & sibi constantes , à somno adhuc , terroreque turbido vi-
 giles , & ad summa quæque obfirmati , occupatâ jam sta-
 tione fuerunt deturbati : at ubi & excita fortissimorum
 commilitonum subsidia , & vinci facilis hostium paucitas ,
 & præceps ad omnia in subitis animis , & innatus universis
 patriæ tuendæ amor , & ipse denique loci situs , horrenda
 scopolis juga , infestæ viarum ignaris tenebræ , vires , con-
 filium , animos suggerebant ; dum ex adverso heroinæ vir-
 tuti tuæ , honoris , gloriaque tramitem decurrenti , & lo-
 cus congestis in valla gigantæ molimine montibus infe-
 stus , & hostis numero , apparatu , situ longè superior , &
 præmeditata multùm antè pericula ; omnia demum , quæ
 Manlio militabant , adversâ in te fronte incurrentia , vel for-
 tissimos poterant spiritus enervare : dum non tam tu pro
 Capitolio , quam Domo Austrica ; non tam pro Latio ,
 quam Romano Imperio universo ; non tam pro Patriæ de-
 fendendæ finibus , quam Romano-Austriaco dilatando
 Imperio vitam cum sanguine exposuisti . Tantò itaque
 Heroæ mentis tuæ laus ac gloria capitolino superior , quan-
 tò majus est , hunc pro Capitolio , te pro Austriae Augu-
 stissima Domo ; illum pro Roma , te pro Romano pugnâsse
 imperio ; Manlium inferentes sese hostes , partitâ cum saxis
 gloriâ aditu prohibuisse , te fortissimorum phalanges Gal-
 lorum collato pede proprijs exturbâsse munimentis . Per-
 ge iô Heros invictissime ! urge inceptum gloriæ iter , &
 inchoatam felicitate tuâ victoriam , fortitudine ad metas
 profer triumphales . Perge , quò heroa te virtus evocat ,
 impellit gloria , victoria deducit , in aperta jam dejectis
 hostium copijs valla triumphalem gressum inferes , & ubi-
 cunque pedem fixeris , testis Victoriæ tuæ laurus germina-
 bit .

Verùm ô vatem inauspicatum ! ô diram tragicæ sortis
 Catastrophen ! ô sanguineam Bellonæ sitim ! quæ , dum He-

100 sanguine suam pascit ingluviem , in id unum vires
 omnes , nervosque contendit , ut copioso lachrymarum
 tributo fatorum satiet inclem tam . Siste gradum Heros
 invictissime , & pluribus verticem servaturus laureis , carpen-
 dæ uni moderatiū inhibato ! vereor quippe , ne , qui cum
 Manlio pugnas , cum Manlio & vulnera recipias ; qui Ro-
 manam in præliando æmularis virtutem , Romanam pari-
 ter fortitudinem fuso sanguine contest eris . Fortassis Man-
 lius , cùm insurgentibus gigantonomachiâ novâ Capito-
 linum in Jovem hostibus sele murū opponeret , eâ adversa
 à phalange lapidum , telorumque exceptus est grandine , ut
 tricena , & amplius vulnera ad calculum suo in corpore
 posset revocare ; quâ quidem irauditâ vulnerum copiâ il-
 lud consecutus est , ut per tot velut ora , quot proflui cruo-
 ris ostia , fama martiam ejus divulgaret laudem ; universa
 verò Roma ob deformatum adeò diré hostili à furore du-
 cem non minimo dolore afficeretur : simile quid , imò &
 luctuosius tibi proh quantum metuo futurum ! Et enjam
 collimantes in Dietrichsteinum unum hostilium è mœni-
 bus machinarum reboant iectus , unus omnium oculis , ferro ,
 furijs , flammis is scopus designatur ; in illius exitum
 omnis belli moles concentrata spectatur . Quin subtrahis
 detonanti in te Mavortiæ tempestati saltem nunc verticem ,
 & summâ cruenti Martis difficultate tuos sublevas Heros
 invictissime ! cùm præsertim non aliâ majori eos urgeri curâ
 quam optimè noveris , quam de salute , & incolumentate
 tua debere esse sollicitos . Ast nihil ago ; ruit magnanimo
 raptus impetu , periculi contemptor animus ; & virtus vitæ
 prodiga , quâ densissima horrent ferro agmina , victoriæ
 investigat : apparatur interea ferale portenti genus , fu-
 nestum Martiæ Vulcaniæ artificium , feracissima libitinæ
 messis , semideæ virtutis clades , currulis tormenti machi-
 na , quæ librato ad omnem tragicæ artificij regulam , Ma-
 vortis fulmine heroæ mentis cursum retardaret . Avertite
 pios oculos , animosque Austriacæ fortunæ fautores !

in-
fre-

fremit jam jam feralis machina , & indito sulphuris somite,
 pestem evomit universæ Austriæ ominosam : prohibete ne-
 farios casus sidera ! & , si quæ Heroini cura sanguinis , in-
 fandum hostilis Gradivi fulmen , aduerso è cælis fulmine
 enervate ! sed cassa æneos inter tumultus vota : fertur ful-
 mineo excussa impetu heroæ cladis administra feralis è
 plumbo pila , & illapso in femur iectu , unà & artus corpo-
 ris , & generosum , quod ferebatur , Bucephalum immani
 fulmine discerpit . O spectaculum vel ipsis hostibus lachry-
 mabile ! cadit ! marcescite lauri , & moribundi Herois irri-
 gatæ sanguine ferales ad luctum induite cupressos ! Cadit !
 adhibete jam , queis tot immortalis lauros gloriæ heroa
 virtus demessuit , funestæ arma pompæ , & galeam heroo
 jam spiritu vacuam , ad exanguia Achillis , Hectorisque ar-
 ma nigrantibus libitinæ armis consecrate ! Cadit horren-
 do terræ afflictus impetu ! & lubricam , quæ suo , quæ ho-
 stium sanguine Martis aream heroo corpore dimetitur .

Quis hic omnium luctus ? quis phalangis totius do-
 lor ? quæ ad usque adeò tragicum Martij sideris occasum
 comilitonum suspiria , quis sufficiat enarrando ? obversan-
 tar animo etiamnum lugubres illi gemitus , in quos fer-
 reum Martis Austriaci pectus resolutum ; redeunt in me-
 moriam viætricia vel inter gaudia tristes , resonantes lessi ;
 mærentes omnium animi , viduata Duce Legio , torrente
 velut dolorum oppressa , etiamnum inter suspiria videtur
 spectari . Dixisses feralem hunc globum in uno Dietrich-
 steinio vulnerâsse omnes ; quando cunctorum corda acer-
 bo mæstiae stigmate sese fatentur notata : credidisses Pan-
 doræ pixidem , quod per hunc exuberantem luctus mate-
 riam , unius in funere plurimis conspicias suppeditatam :
 fatale deniq; phænomenon , plumbeā hanc pilam non im-
 ritò fuisses interpretatus , velut quæ Ducis hujus morte por-
 tendens , doloris nocte non minùs exercitui Cæsareo ac-
 cenderat universo . Sed , dum sic gemitibus suspirijsq;
 parentiū circūdatus Dietrichsteinus , aīe forte generosus ipsius

animus luctui, vel incusantibus vulneris acerbitatem locum
 dedit suspirijs? minimè sanè, gaudet ille errumpentem
 vulneribus generoso spiritu miscere sanguinem; gaudet &
 hiantia suo in corpore vulnera, non aliò, quām, quō ho-
 stium plagas viderat, vultu gestit intueri: quin suo purpu-
 reus jacens in sanguine, stantibus attamen excelsior; mori-
 bundus pugnantibus fortior; occumbens semetipso trium-
 phante major; læsus integras adhuc viribus, animisque di-
 vinâ prope facūdiâ animare conspicitur comilitones: nimi-
 rum noverat perbene Herous ejusdem animus hostile hoc
 fulmen, & martium machinæ tonitru applausum potius
 fuisse gloriæ, quō Dietrichsteinianæ (dicam melius Man-
 lianæ) virtuti melior polus gratulabatur: sciverat imma-
 ne mortis genus, immortale fortitudinis stetisse monimen-
 tum, quō semideam, Romanamque virtutem illam non
 nisi gigantæ mortis genere occumbere oportebat: non
 ignorabat, quod sanguinea illa atram inter pulveris, fumi-
 que nubem intermicans flammæ lux, novus fuerit fulgor
 gloriæ, quod excedens Romanos fastos ejusdem virtus, in
 occasu ipso ad immortalitatem illustrabatur. Et verò quid
 ni? erubescit profecto, erubescit, in comparationem rur-
 sus vocata cum heroë hoc invictissimo Romanæ gentis glo-
 rìa; erubescit, neque jam Manlium parem, sed vel Die-
 trichsteinianâ fortitudine parasangis infinitis inferiorem,
 ejusdem famæ mancipem cogitur confiteri: anne enim ille
 complures honoris fontes, ab hoste accepta enumerat
 vulnera? sed hæc matura vel occuluit cicatrix, vel Alconis
 dextera feliciter emendavit: anne ille tricena, & amplius
 proflui cruxis ostia in pectore recensuit? at nullum ho-
 rum aditum Parcis aperuit: anne ille pro patria sanguinem
 fudit? at vitæ pretium intaminatum servavit; Herous Dux
 noster solus ille, qui non contentus in cruentis ad Istrum,
 & Tibiscum prælijs, se cum vulneribus triumphasse; non
 acquiescens, quod acceptas in laureato ad Sentam prælio,
 vulnerum reliquias ad Augustissimum Imperatoris solium
 attu-

attulerit ; non satur , quòd pro Rege , grege , Cæsare heroum fuderit sanguinem ; cum sanguine ipsam etiam vitam , cum cruento ipsum spiritum Aquilis voluit consecratum . O Manlium profecto , non jam Romanum , sed vel Romano majorem ! O Heröem invictissimum ! O Romuleæ ætatis æmulum gloriosissimum ! non poterunt jam tuæ monimenta gloriae temporum edacitati succumbere , quæ immortali tuo circumfers spiritu ; nec invictissimus ille animus semideo revulsus corpore ullius unquam subire recordationem valebit , quin superiorem tuam Manliò adorent virtutem ; quin vel laureatam Romanæ vetustatis fortitudinem à te devictam admirentur .

Nolim tamen , dum laureato in victoriarum cursu humanis erectum vicibus Dietrichsteinium intelligitis , fabulosum quoddam lethi genus , aut segnes umbrarum domos , vel elysia ruris otia , aut Lethen matrem oblivionis animis vestris objiciatis : divulsum à corpore generosum Herois deploram⁹ animū , non ceu is à nobis penitus fugisset ; mortali enim saturatus gloriā immortalitatis matrem , aliam inijt vitam , non à nobis recessit : viget adhuc suis in militibus ; ejus viva gloria , suā etiamnum in Legione perennat . Vix enim acerbissimū Strategi sui casum lugubris ad Coñilitones fama pertulerat ; vix oculis tragicā Ducis sui catastrophē legerant ; cùm novis illi insurgere furijs , vindictā infremere , instare impetu , & Ducis lui imperia etiam à funere illibata obtinentes , hostiles in muros herois viribus enti . Non adducam hīc ego nōvum , & ab hominum memoria inauditum genus victoriæ , non immortale gentium famæque encomium ; non cæforum acervos hostium , non innumerum captivorum numerum , non militantem Franciæ nobilitatem , aut supremum Mavortis Liliati Præsidem in nostram redactam potestatem , plena invidiæ sollatia coñmemorabo ; id unum , & certè maximum silentio præterire nefas duco , Dietrichsteinianam Legionem Cremonensi in actione singularem sibi laudem , sibi gloriam

vendicasse : interficiebant , non eo inficias , impunè hostem alij ; hæc averso in se unam exercitūs hyberni robore , quò id impunè esset , præstitit . Agebant terrore , tumultuque subito palantes hostium turmas alij ; hæc injecto eorum fortissimis pannico quodam metu , tantam rerum omnium confusionem attulit . Vincabant devictos Galliæ primates , & in his universam Galliæ potentiam alij ; illa eosdem sanguineis Duci sui rivulis , velut triumphales gloriæ mancipes cœmebat : quanquam quid ego unius urbis angustijs Dietrichsteinianam post fata etiam in suis gloriam definio , non alijs terminandam spatijs , quām ubi ultorem gladium hostes deficiunt ; quis enim mavorios militum horum animos , quis in ultiōrem perempti Duci sui ruentem gladium , nullo cruce hostium satiandum , potuit ignorare ? quas illi , superi boni ! Liliorum strages , quanta Gallicæ Nobilitatis agmina dolori suo , Dietrichsteinianis Manibus inferias consecravere ? vos hic ego in testes invoco Martiæ Heroū dexteræ , & calens adhuc hostili cruce ferrum , quod nunquam sine lethali fulgure hostiles turmæ conspexere . Te appello effusæ in cladem Legionis , velut ex adito spectatrix Parma , quæ Herois hodieclum celebrata exuvijs , tot cruenta hostium spolia , Herculeis infractas viribus galeas , & decerptas heroinâ virtute lauros glorioſis litatas tumulis suspexisti . Te Gallicâ adhuc spumanter clade , albentem ossibus , horrentem tumulis , cæforum umbris terribilem in testem adduco , Cæfareis celeberrima laureis Luzzara , vosque subiecti Luzzaræ campi , & raptatis si unquam cadaveribus , jam ultra Phætontis memoriam funesta Padi flumina , feralis prælij arenam ! edicite , quæ hic exanguis jam Herois hostilem in cladem virtus ? quod ipso renovatum discrimine amissi Duci desiderium ? quis succensæ in heroini ultiōrem sanguinis Legionis ardor ? cui tantô Heroa illa virorum vis vigore , animisque institit . ut & suis immixtum manipulis Eugenium Laureati Martis Comilitonem , & triumphali à prælio virtutis

tutis bellicæ sortita sit encomia sten. Quæ omnia spiranti
 etiamnū, vigentiq; post funera virtuti tuæ, Heros gloriofissime , in acceptis Viñtrices referre Aquilas , nemo est , qui neget. Invicta nempe illa animi tui vis felici quodam fati
 ordine tuorum subibat animos , & contemptorem periculi
 impetum suggerebat : tuæ illæ morientis voces tanta post
 intervalla temporum , tuorum adhuc animis infonantes
 litui erant , quibus ad celeberrimæ trophæum gloriæ ac-
 cendebantur : purpureum Heroo crux tuo sagum , &
 sanguineis stillantia rivis arma , vexillum fuerant , quod in
 densissima hostium agmina , per tela , enses , funera
 intrepidis animis sequebantur. Tu eorum spirabas pecto-
 ribus , bellabas animis , fremebas voce , vincebas viribus ;
 tuâ illi virtute : ut jam , non , ut antè , uno ore , lacerto , cor-
 pore ; sed centum viris , viribus , animis bellare videreris.
 Inde erat , quod vel solum Dietrichsteinij inaudisse nomen ,
 armato hosti erat perijsse : inde ad Tui memoriam inclinati
 Franciæ animi : inde germana virtus ad tui conspectum la-
 bari immortalibus gloriæ igniculis succensa : tu videlicet
 tui etiamnum poenas repeatebas sanguinis ; tu iactus librabas ;
 percellebas hostes ; confundebas agmina ; & etsi jam letho
 frigidus , hostili adhuc sanguine calescebas . Submittat jam
 laureatos gloriæ suæ fasces triumphatrix Roma , & oblite-
 ratam ferales inter cineres heroinæ vetustatis fortitudinem
 unius vitæ terminis circumscribat. Suspiciat non nisi so-
 lius rogi flammis illustrem post fata Scipiadum gloriam ,
 emortuam cum Marcello dominatricem Annibalis dexteram ,
 extinctam cum Camillo Gallorum cœdem , in Fa-
 bijs Pœnorum remoram , invictam Manlij gloriam etiam
 ante fata tumulatam intucatur. Vilescit quippè non ex
 vano posteriorū animis Capitolini memoria , quando , quæ
 triumphalem septicollis urbis assertorem fama , eadem
 etiam vulnus , ac pestem patriæ divulgit. Testor (infau-
 stum , an gloriosum magis) Capitolini nomen , quod nun-
 quam sine aliqua infamiæ labie Manlij gloriam commendat.

Testor non minus hostibus , quām vindici suo infelicem
 Capitolinæ Urbis rupem , quam eandem & virtutis invictissi-
 mæ , & funestissimi exitus monumentum Manlius reliquit.
 Testor & Capitolinæ encomiasten gloriæ , & perfidæ vin-
 dicem Camillum , teque tot tuorum jactata fatis Roma ,
 quæ eodem in foro , & laureatis superbum plausibus , & igno-
 miniosâ cadentem morte Manlium conspexisti : tua folius
 gloria . Heros invictissime , ea fuit , quā non solūm gloriofis-
 simè mortem oppeteres , sed & post fata in tuis fortuna-
 tissimè pugnares : tua hæc laus , te non minus in vivis ,
 quām post funera laureatas cum sole extendisse manus :
 tibi hæc prærogativa uni propria , post mortē etiam , non nisi
 immortalia te patrare novisse facinora . Quæ cùm ita sint ,
 quis non verè te Manliō superiorem ? quis Romanā virtute
 non edicat majorem ? Transcendisti sanè jam Quirinā forti-
 tudinem , & ultra laureatos eorum excurrens fastos , statu-
 tum virtuti Rōmanæ apicem gestis tuis superästi . Tran-
 scendisti ; seu tuum pro Austrïæ Capitolio decertantis ma-
 gnanimitatem ; seu pro eodem non tam in vulnera , quām in
 funera ruentis Martios ausus ; seu demum à morte etiam
 tua , vivam adhuc in milite Ducas virtutem lubeat contem-
 plari . Surgant jam ubique gentium perennatura tui trophæa
 nominis ; honorum colossi , triumphales victoriarum ar-
 cus , non tam auro , & raarmori , quām immortalibus
 mortalium animis ad perpetuam Austriaci hujus Manlij me-
 moriam insculpantur : & verò intueor jam in numero vir-
 tutum tuarum choro immortale gloriæ tuæ fastigium ad
 immortalitatem innixum ; triumphantem adversis Con-
 stantiam , laureatam vertice Fortitudinem ; triumphali in-
 signem gloriâ Industriam , Consilium , Fidem , Felicitatem ad
 omnem Amazonum invidiam Martiâ exultas elegantia
 animadverto . Video adamantinis ad viétrices currules
 tuos adstrictam vinculis Fortunam , protritam invidiæ ra-
 biem , elusas fatorum artes , & semper magnis insidiantem
 nominibus oblivious temporis edacitatem triumphali pede
 pro-

procultata m. Percipio captivas Galliæ lachrymas , cæ-
forum manubias hostium , asterratum simulacra urbium,
fluminum , Provinciarumque imagines , laureatos victo-
riarum titulos , & non unis superba insignibus , domita-
rum vexilla gentium lauros inter, cupressosq; tuas , nescio,
quâ Mavortiâ venustate, volitantia obstupesco . Quæ in-
ter, dum ad laureatam heroi nominis immortalitatem , tri-
umphantibus in sidera sublatum Aquilis, masculæ virtutis
tuæ genium sub Manlij imagine, submissis ultrò Eloquentia
fascibus adorat ; patere, ut perennaturos inter omnium
gentium ætatumque plausus, vietricem tuam confessa ma-
gnitudinem Facundia , leve hoc folium tuum affigat ad fo-
lium.

In tumulo trophæum, tumulum in trophæo vide :

Latet hic arenæ Heros clarissimus,

In sago Marius ,

In toga Cato ,

In aula Lucullus ,

In Campo Manlius ;

Nomen nomine majus ;

Nimirum Comes Dietrichsteinius.

Oleam Mavortio illudentem trophæo quid stupes ?

Ter felicem ternas in aulas , Cæsaris loquitur
ex Legatum.

Arrident Laureæ ?

Lotharingo Duce primam, mox inter Duces primas
tulit.

Horret adhuc Heroum nomen acta sub tartarum
Tartaria ,

Et à Martio hoc sidere suam obscuratam Lunam
lamentatur ad Sentam Odrisia ,

Ajacis clypeum in hoc sensit Transylvania,
 Et Portæ ferreæ plusquam ferreum Assertorem,
 In omnibus tamen aureum Duce.

*Lilia tractare non novit, nisi Mavortio ea spiritu
 demetendo,*

In Floræ etiam germina ita crudelis.

Stamina huic fila vitæ ad Cremonam rupere,
 Quando orbis, ipsius ebrius famâ, jam stare amplius
 nescijt,

Sed ad pedes in globum procidit,
 Eumque ad sidera Victorem extulit,
 Quem ad fati umbras detrusit.

In luce tamen etiamnum vivit gloriæ,
 Qui toto tempore vitæ Manlio majores,

Martij sparsit radios honoris.

Viator in Dietrichsteinio Herœ

Clavem omnigena crede Victoriae,

Eisque pacem vove, qui lituos victoriose
 intonuit.

Vale.

Composuit

FRANCISCUS BARTHOLOMÆUS GOTTWALDT,
 ex Cæsareo Ferdinandæo.



LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
LARSEN





PANEGYRICUS FUNEBRIS IV.

De novo

Ætatis suæ Marcello,

SEU

Theutonici Jovis Armigero invictissimo
C O L U M B A,

Qui

Non procul à loco, vulgò dicto Madona delle gracie,
binâ glande, ex insidijs Gallorum petitus, gloriose
occupuit, Anno 1702. 3. May.



Ssurgite heröi Manes! laureatæ militum reliquæ! magni Elysij mundi Numina! seu quos triumphalibus revinctos laureis Sciapiades, Marios, Alexandros (quanta nomina!) vetustas obstupuit; seu quos nostris adscripta fastis sœcula Lotharingos, Souches, Veteranios ad omnem antiquitatis invidiam laureatis immortuos progressibus, sideribus transspere: Mavortiæ hodie lumen gloriæ, fortitudinis miraculum, & immortalis animam Nominis, vestris addit cohortibus fulribunda Galliæ invidia; atræ mortis falces vestræ Heröem fistunt coronæ; quem immortalis rectè factorum stipat memoria, quem omnium dolor, luctus, & suspiria comitantur. At te nunc tantò Duce viduatam Cæsaris Augustissimi militiam! ô tantò Bellonæ decore orbata Austriae labara! ah jacturam nullis lachrymis, nullo lesso exæquandam!

dam ! desideramus Martis Italici vitam , fulmen , & terrorem hostium , quietis nesciam cladem Franciæ , unicas laureatæ famæ delicias , immortalis nominis heröem desideramus , cuius viëtricem virtutem nulla locorum effugit longinquitas , nullus phalangis adversæ debilitavit numerus , non objecti undique aggeres , non præsentissima capitis discrimina ab hostium cladibus prohibuere : desideramus , cuius laureatam vim orbis obstupuit ; triumphalem dexteram magnus ille Heröum exercitus , Cæsareæ suspexere Aquilæ ; tot hostium cladibus purpuratam Martis peritiam , vel ipsis feralibus morientum suspirijs , & singultibus oppressa hostium agmina celebravere : desideramus , cuius vel cæsi nomen horrescit Gallia ; Germanæ suspirant copiæ ; Eugenius immortali prosequitur encomio ; fortissimum simul , & invictissimum Aquilarum Strategum , celeritate param Annibali , impetu superiorem Scipione , felicitate Pompeiis vix inferiorem , fulminatricem sub imbelli nomine Martis Aquilam , Columbam invictissimum desideramus ! proh barbarem in clades nostras Fortunæ invidiam ! tantum igitur furentis Libilitæ telis licuit , ut immortibus dignam encomijs virtutem mœstissimis silentum tenebris transcribat ?

Verum procul ista nefandi fati temeritas , & in magnorum cladem nominum grassari sueta invidiæ licentia : etiamnum hodie infestissimi oblivionis hostes , magnorum vindices Nominum desudant calami ; & tintum Heröo sanguine apicem duplii immortalitatis argumento eruditæ gestiunt transmittere posteritati ; quos inter nævè minima , & ultima sis , age maguarum semper amica mentium divina Suada , in immortalis præconia nominis calamos acue ; non longè hos requires ; ipsæ ultrò triumphatrices Aquilæ pennas in calamos subministrant . Lauros expedi : nunquam hæ tuam pietatem deficient , quando eas vel ipse Mavors suo detractas vertici in immortalis heröis tumulum plenâ manu concessit . Colosso erige : nullis hic scalpis opus

opus est ; lubens , gaudensque cognata tibi Pallas , quas olim in æde sua Herōum gesserat effigies , in invictissimæ virtutis trophæa suppeditabit . Imitare profusam in suorum memorias vetustatis industriam ; statuam gloriofissimis consecra manibus ; & (nī fortassis aliud Herōis hujus ectypion occurrat aptius) eum , quem olim vetustas commendavit , & nostra etiamnum deprædicant sæcula , fortissimum illum Romanæ militiæ Ducem Marcellum , non tam scalpro , aut cælo , sed triumphalis eloquentiæ obsequio ad immortalem posterorum memoriam , oratorijs efforma numeris , Columbam in Marcello , Marcellum in Columba quam optimè expressura .

Quod dum per alumnum suum Suada aggreditur , invictumque illud Marcelli nomen , profundis velut oblivionis sepultum tenebris , ad novam gloriæ lucem in Columba resuscitare conatur ; nolim è laureatis Romanorum fastis in Marcello , Martis alumnum de trivio aliquem , eum magis in assymbolam Columbæ imaginem vobis afferri militem intelligatis ; qui animi generositate nulli secundus , infra dicto mentis robore cunctis superior , excelsa mentis æstu non nisi Herōem sapiebat : militem ; qui viætrices cum sole extendens manus , per orbem universum militaris egit triumphum gloriæ ; qui nusquam non virtutis suæ fixit trophæa . Militem ; qui terror hostium , Romanæ columnæ Reipublicæ , belli fulmen , plurimorum hostium audijt triumphator . Militem ; qui unus imminentem Romæ Gallicanam fregit potentiam , fulmineam Annibalis elusit celeritatem , unus incumbentia Siciliæ discrimina , partim heroæ mentis consilio , partim invicto dextræ robore dissipavit . Militem ; cuius experientiam elusæ Archimedis machinæ celebrant , consilium in difficultimas adductus infidias expavit Pænus , fortitudinem opimis superba spolijs Capitolia deprædicavere . Militem ; quem celeritate incredibili præditum prædator obstupuit Vindomarus , pertinaci in prosequendo victoriarum cursu succinctum fortitudine Carthago horruit ,

ruit, divinâ propè, & fortis vices ignorante usum felicitate, laureata semper victoria est comitata. Militem inquam; à quo excussum perfido ausu jugum recepere Syracusæ, innumeræ suorum clades hostiles retulere copiæ, libertatem, ac salutem suam hostilibus jam propè succumbens armis Roma, atque universa adeò Italia sese gestiunt accepisse. Animadvertis opinor, Herōos Marcelli spiritus, & ad omnem Mavortis aleam, invictam animi fortitudinem immortali præconio prosequimini; sed & succumbere nesciam Herōis nostri velut in effigie animis objectam vestris virtutem suspicite; Columbæ in Marcello adorate laureas; & nullis majorum præconijs minorem, Herois, quem nostra tulerunt sæcula, fortitudinem perennaturis encomijs ipsis adeò sideribus æquare anhelate; & verò non fallit vos hausta de Herōis animis Columbæ opinio; nec prona in laudes pietas extra veritatis orbitam vel latum unguem evagatur: illumne enim ipsum in testem advocem, qui heroarum non minus mentium explorator severissimus, quām fremitu, dextrâ, calibe, gestisque ipsis encomiastes disertissimus, cruentus est Mavors? & quid fatebitur aliud? quām, sicut animo, sic & opere, factisque æmulam Marcelli in Columba se expertum esse virtutem? quid enim? pericula fortè Mars obijceret? immitteret furias? terrores oggereret? insurgeret fremitu? intentaret vulnera? intentata infligeret? inficta ingeminaret? sed hæc prima suæ rudimenta gloriæ, honorum fontes, nativam purpuram, victoriarum prodromos, Herōum delicias invictus Columbæ animus exultimavit. Concitaret in unius periculum universam bellici furoris tempestatem? pulverem in nubes congregaret? tormentis fulminaret? plueret glandibus? te. lorum grandinem, imbres sanguinis, & volubilem velut armatorum turbinem in unius illius discrimin exitaret? Herōam in his Columbæ virtutem vacillare nunquid conspexit? Tantum abest, ut hæc Mavortis fulmina, gloriæ aplausus; pulveris, fumiique nubem, serenum honoris me-

ridiem ; sanguinis fluvios, immortalis triumphi purpuram
 invicto animo compellaret. Erigeret demum vel ipso
 aspectu metuendam aggerum , mæniumque molem, infle-
 teret in lunas . protenderet in cornua , expanderet in mæ-
 nia , attolleret in turres , in fossas deprimiceret , recideret in
 aggeres , asperaret in coronas , in angulos acueret , & in
 cœlos usque minitantes incurrentibus murorum pinnas
 eveheret ; hæcine herōum Columbæ animum ab incursu
 retinuisse dicet ? minimè sanè : sprevit hæc imbellium re-
 ceptacula mentium triumphator animus , & instructos ab
 ipso hoste gradus æstimavit , quibus ad immortalis famæ
 ac gloriæ delubrum eniteretur. Ah ! per tuam te hic ego
 dexteram oro , perque triumphale ferrum illud , quod nun-
 quam , nisi hostium cruore purpuratum, triumphatrix dex-
 tera vibravit ; ediffere Heros invictissime , quid te ad tanta
 subeunda discrimina , ad exantlandos tot itinerum , præ-
 liorumque labores , quid ad ausa ista vix humanis tentanda
 dexteris provocavit ? an non ignea illa animi heröi vis , &
 nunquam quieta victoriarū cupiditas , quæ non alium tibi
 torum amænum , gratumque fecerat , quam quem de-
 cerptis ab hoste laureis , hostili in solo , ac pulvere laureata
 victoria instravisset. Quia in re tantum triumphali Marcelli
 imagine invictissimam tuam præstare indolem , quan-
 tum umbra corpori , factis auguria , spiranti in Heroibus
 virtuti Martiæ triumphales cedunt imagines ; quis est ,
 qui abnuat ? Heroa quidem , non ibo inficias , Marcelli
 mens & indoles , nullo aoso impar ; at animi tui virtus ea
 fuit , cui obstare nihil , nihil remoram victoriosis signis tuis
 ponere posse videbatur. Magnum cum Marcello in tot se-
 se ingerere prælia , nullam belli expavescere aleam ; majus
 illud , te tot è prælijs nullum suscepisse , quin invicta animi
 tui magnanimitas encomio semper singulari rediret dignissi-
 ma , quin Colubæ nomē super æthera semper fama extulisset.
 Immortalis illa Marcelli gloria , quod potentissimas ho-
 stium phalanges solâ Martiâ suâ indole fregerit ; majus , ac

propè divinum illud , consilio , ducatu , felicitate tuâ potentissimum hostem , levioribus licet congressibus , generositate tuâ ita attritum , ut , qui justo vinceretur prælio , hostilis exercitus vix supereret.

Sed quoque tandem in sola Heroi admiratione animi sit Oratio? quam ad extollenda invictæ virtutis gesta , viendos cæsorum acervos hostium , & implantatis olim infestos Lilijs aggeres , nunc herois ausibus solo æquatos , securò pede percurrendos triumphatrix dextera invitat. Adeste animis , oculisque Auditores , & properantem in cædes hostium virtutem invictissimam , velut ex edito contemplaturi , advertite Oratori. Cernitis hic exiguo circumfusam flumine , amplam nuper , hilaremque Regionis faciem , nunc hostilibus undique ignibus defædatam? intuemini surgentia undique semi diruta oppida? hinc alluentis alveo fluminis , inde eductis latè aggeribus , adversus omnes adversi Martis minas , industria , ac cautione sumâ Gallos præmunitos? animadvertisit crispatia undiq; in vallis Lilia , florentes ferro , ætate , viris , cohortes hostium omni rei militaris apparatu instructissimas? quoniam hæc demum universa compellanda nomine , quibus insignienda titulis existimatis? validas , nullus dubito , reponetis cohortes , bellatricis nervum Galliæ , & vigiles in omnes motus hostium virorum turmas , Cæsarei moram exercitus , mancipatae Gallicis viribus Italiam custodes ; toto cœlo aberratis. Prædam dicite , & expositas invicto Columbae ferro victimas , quām imbellibus terrificas , tam triumphatricibus Aquilis contemptas. Non is ego sum , qui laureatâ dudum famâ , ultra omnem suadæ facundiam decantatas Ducas victorias , orationis ambitu aggredior complecti; vel ipsis fidem habete oculis , & facundis in Ducis encomia Galliæ lamentis. Video jam superato , quā Addam alluit , alveō per hostiles latè campos volitantes Aquilas ; Gallicanis purpuratam cladibus herōam dexteram , & quā nuper stativa hostium surrexerant , nunc Libitinæ spoliaria ; quā li,

ligeri minabantur aggeres, nunc strues cadaverum; quā
 Francica volitabant signa, nunc viēticum trophæa Aquila-
 rum surgere animadverto. Quis hīc cæforum acervos
 hostium? quis undantes sanguinis rivulos, tumentia cada-
 veribus flumina, præcipitem hostium fugam, consterna-
 tionem, metum, & repentinam pallantium cadentiumque
 confusionem pro dignitate queat explicare? Stupetis in
 uno velut proritis impetu lectissimas binas Galici exer-
 citūs cohortes? protrivit invicta Columbae virtus. Stu-
 petis paucorum Herōū dexteris, ducentos Helveticæ mili-
 tiæ viros (unicum Mediolani præsidium) armis, animis,
 vitâque ipsâ exutos? & hos herōa Columbae dexteritas vi-
 tæ finibus exturbavit. Stupetis repentinâ velut inundatio-
 ne peragrata stativa hostium, ab ipsis sæpè plumis in vin-
 cula abreptos Duces Galliæ, in nostram redactam potesta-
 tem Monræum, & majorem persæpè victoribus captivorum
 numerum? hos dexterima Herōis nostri virtus in vincula
 sedegit. Fugitivos demùm pallantium copiarum præfides,
 partim nocturnis solū albentes linteis, partim nè galero
 quidem, minùs casside adversus hostem obarmatos, fæda
 fæla fugâ proripientes risu, ac sibilis prosequimini? eos quo-
 que vinci nescia Herōis virtus vestris risibus, & cavillis ex-
 posuit. Quòd certè quantum sit, vel ex eo perspicuum
 universis fuerit; quòd accisam fulmineo impetu potentiam
 suam, fractos exercituum animos, irrisos hodie illos orbi
 formidandos apparatus, & magna Herōum funera, non si-
 etis hodiedum lachrymis Gallia deploret. Quod dum di-
 co, illius potissimum subit memória, quô triumphalis ima-
 go tua, Heros invictissime, vicenis jam ferè abhinc sæculis
 Romanas inter Aquilas eluxit. Triumphabat enim verò
 tum Marcellus, & per stagnantem hostili tabo Regionem,
 suæ trophæa gloriæ explicabat: vidissetis illum nunc insigni
 ad Castidum defunctum præliō, interfecto exercitūs Gal-
 licani Duce, opima terrestrio Jovi spolia deferentem: nunc
 redactō in potestatem Mediolanō, expulsis Italâ Gæsatis,

& sub triumphale Romanorum jugum coactis Insubrum
populis, laureato vertice sublimem: aliàs disjectis ad Cannusium exercitùs Punici stativis, fuso ad Nolam felici astu
Annibale, & ternis in Lucania prælijs fractâ Carthaginis
potentiâ, Cannenses suorum manes vindicantem. Quæ ut
ut magna sint, & triumphalibus Romæ lauris nun-
quam pro dignitate sua coronanda, ea tamen non vanè di-
xerim, quæ cum heröa magnitudine tua comparata, in se-
cundis consistere sit necesse. Vicit, haud abnuo, vicit Mar-
cellus; infregit hostes, disjecit copias, retudit vires, elu-
xit insidias, minas dissipavit; sed totis ad id succinctus e-
xercitibus: rerum apparatu incredibili, toto Romanæ po-
tentiae obsequio, hostiles in clades obarmatus: dum è con-
versò incomparabilis animi vis, ne cum numero parti-
retur victoriā, modicis semper succincta turmis, eas
hostilium copiarum strages, eam rerum omnium pertur-
bationem attulit, quæ paucorum Herōum dexteræ expa-
vescerent, vix magnis tentanda exercitibus, gesta loque-
rentur. Vicit Marcellus; verū cum præsentissimo sæ-
piùs patriæ discrimine, cum numerosa fortissimorum com-
militonum clade, immensorum profusione sumptuum;
triumphalia cuius gaudia longo persæpè metu Romanam
plebem redimebant; dum incredibilis tua rei bellicæ peritia
securas cladis præstabat Aquilas, & non nisi hostium peri-
culo vincere assueta, non aliter ad pugnam copias, quām
ad triumphum deducebat. Vicit Marcellus: verū ho-
stilibus ad id adactus progressibus, & nî citò vinceret, ci-
tiùs perituræ Patriæ impulsus periculo; commissâ dubiæ
prælij aleæ salute civium, totis de rerum summa exerciti-
bus dimicabat; dum triumphatrix illa dextera tua herōis
comitatibus id effecit, ut attrita innumeris cladibus Gallia,
de tentanda rerum summa desperaret.

At ô sanguineis dignam lachrymis humani fati condi-
tionem! ô magnis semper exposita casibus sublimium tro-
phæorum fastigia! ô infelices victoriarum lauros, quæ aliàs
de-

demum metas nesciunt, quam quæ infaustis lethi cupres-
sis acerbissimâ Libitinæ invidiâ inumbrantur! exulta nunc
improbâ tuâ heröas in clades vigilantiâ Gallicana impietas!
&, quâ soles ferociâ, nostris cladibus insulta. Ades ad fe-
rale libitinæ spectaculum spectatrix, libitinâ ferocior, &
ferali collucens taxo Heröum corpus nunc primùm sine
metu intuere. Cerne invictum fortitudinis, nimirum tuæ,
monumentum; furtivis adacta istibus vulnera, & tuâ com-
paratam fugâ incruentam victoriam triumphali carmine de-
canta. Verum quò me in cavillum, & iras effusus dolor?
quando ferales heroum casus luctum, & lachrymas depo-
scunt. Observantur adhuc animo acerbissimi monumenta
casus; hæret altissimis infixus fibris dolor; ferale pulveris
nitrati fulmen auribus intonat; hiantia occursant vulnera;
& mœstissima loci facies gravissimô animum vulnere percel-
lit: surrexerat jam secundissimis aucta progressibus invictæ
virtutis gloria, & laureatæ nomen dextræ succollantibus
Aquilis ultra nubes provehebatur: plorabat occursantes
undiique lethi, cladiumque imagines Gallia, nec ullis tu-
ta repagulis, Lilia lethali jam pallore albentia fluctuabant:
ibant pronis in successibus triumphatrices Aquilæ, & tantis
jam securæ victorijs, ut nec cladæ possent accipere, vincendi
efficerant assuetudine: cùm (percipite diram fati licentiâ)
exiguo heröum manipulo ad victoriam comitatus, non unâ
instratum laureâ, iter suum triumphator Columbae animus
in castra relegebat. Pronissima hic nocendi via, scrutanti
dudum omnia, fortunæ adaperta: subitus igitur Liliatas
inter cohortes novarum cædium rumor increbescere, tot
cladium memoria sollicitare animos, & stillans fugientium
vulneribus cruor in ultionem dexteræ provocare. Quid
igitur? hostilem in cædem furibundi ruerent? accensus id
facile furor persuadebat: apertâ vi, Marte, viribus inva-
derent? tot cladibus excitus timor, audendi impetum re-
primebat: numerô igitur, copiaque paucorum virtutem
Heröam opprimerent? facile adversum multas Amazo-

nes , vel unum triumphare Herculem non ignorabant : Quod igitur unum supererat , imbelli fraude in heroæ virtutis exitium grassantur ; feliguntur omni è numero viorum promptissimi , nota sceleribus , audaciaque manus , in omne facinus projectissima , non unis intontum cædibus in heroæ virtutis cladem , ferali præludio exercitata . Coronantur illicò occultâ virorum statione via , obsidentur aditus , conduntur insidiæ , & quæ invicto heroi ad lauros iter , eà feralem lethi viam fraudulentia crudelitas , crudelis fraudulentia insternit . O diram semper scelerum felicitatem ! quin prohibes infanda consilia Heröum defensor Mavors ! & indignum Mavortio nomine facinus primis in conatibus succidis ! nil ago ! pergit sui securus herōus animus , & non aliter ac prædæ cupidine in castis deductus leo , hostilis siti sanguinis ferali cœdis theatro fese infert . Affundite herōis vulneribus lachrymas ! evibrantur undiq; non unis fætæ cædibus lethales machinæ ; feralis administræ fati glandes in numero vulnere herōos discerpunt artus , & infanda illa virorum manus , non exspectato patratæ cœdis spectaculo , ruentibus in ultionem Aquilis subducuntur . Jaces ô dirum cruentæ fraudis artificium ! quæ præclusam viribus herōas in clades viam , infandis artibus insternit . Jaces ! succidite jam , queis omne herōæ virtutis iter coronatur , lauros ! trophæa prosternite ! & in moeſtissima doloris castra triumphi gloriam commutate . Jaces ! infidæ sortis ludibrium ! triumphus hostium ! tuorum luctus ! Mavortis lachrymæ ! & cujus vigore universi exercitus corpus animabatur , triumphator ille spiritus extremis jā jā labijs inhæret ! Proh ! Quām vera olim (non finē lachrymis rememoro) in herōa fortitudinis tuæ imagine M. Marcello , præsaga fatorum antiquitas adumbravit ! statuerat illa triumphalibus gloriosum insignibus Marcellum ; oneraverat cæforum manubijs hostium ; laureatis verticem præcinxerat coronis ; sed quæ mox sub infausta lethi falce emarserent . Deplorat adhuc infaustas Roma Annibalis in-

fidas, & adjacentem Peteliæ tumulum ipsis Cannis infeli-
ciorem. Quænam superi Strages illa? quis Romanæ urbis
terror? quæ universæ Italæ consternatio? quando trium-
phantem Marcelli cæde Annibalem, succisam tot laurea-
rum spem, & vix trecentorum Heröum prælio, de summa
rerum dejectam Romæ potentiam, Viætorem Pœnum, im-
minentem Romanis mœnibus calamitatem, pleni singulti-
bus rumores advexere. Quâ in re, dum heroæ cædi tuæ
velut ex ungue respondentem Marcelli imaginem nemo est,
qui non animadvertat; illud potissimum movet animum,
quod Marcellò ipsô nomen, famamque tuam longè reddit
superiorem. Quis enim est, qui nesciat in periculosisssimo
rerum articulo destitutum à suis Marcellum, captivis con-
sulatūs fascibus in hostium devenisse potestatem, & immani-
fatorum invidiâ, aut supremis caruisse rogi honoribus, aut
triumphantium pietate hostium precarijs ignibus donatum?
Quantò tua hic, Heros invictissime, Romano Duce illo su-
perior gloria, & vivus adhuc post funera libertatis amor?
quando nec vitâ, spirituque cassis exuvijs potiri ausus hostis,
liberos, suique juris hereos manes ad magna Elysiorum
manium concilia transmisit.

Ergo perge Marcello major! perge Romanarum vir-
tutum ectyon nobilissimum! Cæfarei Jovis fulminatrix
Aquila! tua etiam in morte immortalis, è Martijs in Ely-
sios campos perge Columba! perge! quique & animo &
opere, vitâ, & morte laureatos antiquitatis annales unus in
te brevi conclusisti adynato, post victorias copiosissimas
non cum Romanis terreno in Capitolio, sed coelesti in Re-
gione gloriæ tuae celebra triumphum: perge! atque, qui ho-
stibus Austriæ toties ostendisti, quid valeat ira Columbæ,
qui Liliatas volucres Martius accipiter toties in prædam
egisti; quem etiam vidisse (quemadmodum de Columbis
Suidas) nunquam non mali præsgium hosti extitit, ultra si-
dera jam te elibrans, destinatū virtuti tuae capesse braviū.
Metetur hoc, quâ pro Austriæ universæ bono sanguinis, vitæ-
que

que prodigiis extitisti, magnanimitas; meretur, vel sanguine subscripta generositas; merentur immortalia gesta tua; merentur utilitati publicae praestita Martis obsequia. Nos interea, dum, quemadmodum à Venere olim Æneæ ad aureum inveniendum ramum submissa Columba, sic pro lauro contra hostes in arena reportanda Columbam unice te nobis concessum cum gaudio, amissum cum luctu recordamur, trophæi loco erectam tibi Marcelli statuam inter arma lauris innectimus, Famamque & Martem post funera etiam in omnium superstitem animis Columbam evulgantes, sequenti exornamus epigraphe.

En nova, quam cernis, sese Memnonis
hinc statua offert,
Solem quidem militiae,
Non orientem tamen, at occidentem
adoratura;
Nomen quid queris?
Oleæ loco Laurū cum arcæ Austriacæ intulerit
toties,
Columba dici voluit;
Verius tamen accipiter hostium, praesertim
Gallorum,
Quos iteratis incuribus ita attrivit,
Ut Liliato exercitui vix locus in exercitu
effet.

Novus per omnia ætatis suæ Marcellus;
 Nisi quod ille nomen immortalis cir-
 cumtulerit,

Hic verò gestis se exhibuerit immor-
 talem.

Padus, Mincius, & Athesis fluctuantem
 nunquam virtutem
 In mare transmisere,
 Immensa laude digna acta
 Immenso commissuri.
 Pugnare huic idem, ac vincere;
 Vincere idem ac pugnare;
 Donec

Ex insidijs illum tandem Parcæ aggressæ,
 Lauros cupressis, Martem morte
 commutârunt.

Fors, quod arenam jam publicam
 fugerent,


Qui sanguine suo ad Ducis hujus virtu-
 tem toties erubuere.


Cecidit non gladio, sed globo,
 Ut, qui Jovis Austriaci armiger toties
 fulmina jecit,
 Martio ejus ab igne se vindictam sumptuosa-
 Hostes faterentur.

Plura cùm liberet; dolor non sinit loqui;
 Vale Viator,
 Condole cadenti;
 Ad gloriam cum Anthæo in lapsu gratu-
 lare surgenti:
 Marcellum audisti,
 Et vidisti.

Composuit

JOANNES à BETTENBURG.







PANEGYRICUS FUNEBRIS V.

De
Pompejo magno,

Seu verius

PRINCIPE COMERCY,

Romano - Cæfarei orbis Heröe invi&issimo , atque ad
Luzzaram , cùm à Lilijs Aquilæ in pugna glorioſſimos
legerent triumphos , glande plumbeâ perempto

15. Augusti, Anno 1702.



Heu lugete orbis Austriaci plagæ ! lugete
Cæſareæ potestati tributariæ regiones ! ce-
cidit heu dolor ! cecidit vestræ ſaluti, deſen-
fioni vestræ , nec non & fortunæ ſacratus
unicè ſanguis , in mortis falces cecidit ! ah
luge aula ! ſi que unquam acerbo malorum
preſſa vulnere tragicum explicuisti vultum , nunc non mi-
nus in ſuſpiria , & gemitus, in indices latentis doloris lachry-
mas reſolvere ! amifisti militem, eumque talem, qui Cæſareis
totus vivens Aquilis, in obſequijs tuis vitam cum ſanguine
litare ſemper maximis pro votis geſſit ; orbata es duce , qui
triumphalem gloriæ tuæ currum per omnes orbis plagas a-
gere , qui victoriarum tuarum ubique figere trophya con-
rendebat ; Heröe es ſpoliata , cui Mars paucos pares, Ita-
lia non multos æmulos, orbis perraros fortitudinis tantæ
Strategos enutravit. Prä cæteris verò luſtum in due , nec
niſi ſuſpirijs parenta, tot hucusque partis laureis claræ invi-
etiſſimi Cæſaris Militia ; quæ & oculatus testis immortalia

Ducis hujus gesta attonito toties suspexisti animo , & im-
 mensis laudibus quotidiano propè sole ad sidera extulisti ;
 tuum nunc est atro incedere luctu , hostili aliàs sanguine
 rubentia signa tragicis condere umbris ; nigro resona tym-
 pana involvere velo ; quæque tubæ aliàs martios accende-
 bant spiritus , nunc ijsdem imperantem cordi dolorem tenui
 voce promulgare : tuum est conversis in terram armis libi-
 tinæ crudelis indigitare ferociam ; occumbentem tragicò
 murmure lamentari belli solem ; quemque hostiles nuper
 spirabas in copias , nunc inimicas non minùs in Parcas ex-
 citare furorem ; tuum vel cum Ægyptijs defuncto ferales
 erigere colosso , vel cum Græcis detriumphatas à Comer-
 cio phalanges immolare in victimam , aut cum antiquis cer-
 tè mortualibus castra cupressis vestire : porrò quid ad ista
 Heröum belligerantium studiosa Pallas ? tacebitnè ? & tra-
 gicæ tanti Principis catastrophe indolente non modò Mat-
 te , sed & Austriâ universâ , sola ipsa finè lachrymis , finè
 mærore manebit ? ah eat & illa , siquæ quondam laureata
 Comercij resonante famâ in epinicum & pæana resolvit
 ora ; nunc funestum per bubonem profitens luctum , in ha-
 sta feralia mortis explicans spicula , non nisi lessum , non
 nisi nærias eloquatur ! Eloquatur ! & quoniam Romano-
 Cæsarei exercitus Ducem deplorat extinctum . Romanis
 ejusdem cineres misceat cineribus , in Comercio Romani
 orbis Principem , magnum amissum deploret Pompeium :
 Pompeium ! velut quem virtus non minùs ac illum ad glo-
 riæ militaris evexit culmen ; cui laureati æquè ac illi cucur-
 rere soles ; quem victoriæ , gestaque insignia , triumphan-
 tis Martis non minùs genium declaravere ; Pompeium !
 quem cum Romano illo , & nomine & omni dicere fas est
 Magnum ; quem actis & factis ætate antiquâ majorem ,
 quem meritorum denique commendatione Maximi titulô
 licet insignire . Erit fortassis , unde ex hoc ipso etiam luctus
 in meridie , ortum novi aucupemur solatij ; unde , sicut Prin-
 cipis tanti jactura exulceratos omnium reddidit animos ,
 sic

sic relictis in memoria nostra immortalibus ejusdem facinoribus robur quoque sit ad eosdem deliniendos. In Comercio proin sumum Quirina cum virtute comercium, defuncto in Principe alterum saeculi nostri Magnum excipite Pompeiū.

Magnorum Herōum umbras, quis quis metitur urnā, errat procul; Alexandrum magnum parvo conditum invenies terrae sinu, nec totus tamen huic par erat orbis; Julium Cæsarem exiguō terra complectitur loculō, universum attamen ipsum replevit triumphis; Comercium pariter, paruō dum reperis tumulatum sarcophagō, ne paruum crede, angusta & ille in cinerium urna magnus, modicā in sandapilā Magnus est Pompejus: & verò quidnī Pompejus magnus? quando id ipsum, quod olim Pompeio tributariō velut jure proprium cedebat elogium, huic vestigale non minūs esse prohibetur. Forstam Sylla cūm Pompeium, illum Romani imperij Jovem, invictum belli Atlantem, sagō & togā principem multō gloriosissimum natalitijs à ceris, nec non & à traduce cum sanguine virtute extollere, atque deprædicare vellet, laconismo utens, in nuce laudum iliadem his complexus est verbis: Pompeius Magnus est, & ad omnia summa natus: magnus si dignitatem spectes; at non minor, si aviti sanguinis scruteris originem: magnus virtute; at non minor, si sidera etiam transcendentia Majorum consideres gesta: ad summa omnia natus natus cum traduce sanguine, quā hausit virtutem; natus indole, quam à Martijs Progenitoribus martiam hæreditavit; natus antecessorum gloriosissimis exemplis, quorum insistens vestigijs, prærogativæ omnis apicem non potest non obtinere: fortes quippe creantur fortibus, estque in equis patrum virtus; nec imbellies progenerant aquilæ columbas; majorum ceræ effigies sunt natorum, horum gesta testimonia sunt posterorum; ut hi vocem edunt, nepotum resonat Echo: non abludit posteritatis fructus, ubi heroina de stirpe flos enascitur: lumen & descendentes cum sideribus, si quorum oriundi ē sanguine, solis æmulos virtute suâ evibrare nōrint splendo-

res. Quòd si jam Serenissimi Strategi nostri glorioſiſſimos
perpendamus natales ; ſi clariflimi ſtemmatis mente recola-
mus ceras ; ſi ſereniſſimam Lotharingiorum proſapiam, cu-
juſ e cælo martium hoc ſidus ortum eſt, animo obijciamus;
eritne, qui Heroino à ſanguine eundem non niſi laureis de-
ſignatum ? ab iſignibus Lotharingiorum geſtis, nonniſi
trophæis genitum ? ab imortalī eorum famâ nonniſi ad ſum-
ma omnia natum , & vel ideò cum Pompeio Magno mag-
numpariter Comercium fateatur ? hæc quippe domus illa,
quæ Regibus & Imperatoribus fortiſſimos imperij ſui enu-
trivit Atlantes ; hæc illa, e quâ velut Troiano ex equo ce-
lebellimorum Belliducum prodierunt nomina ; hæc illa, in
qua plura ac quondam Romano in capitolio ſemideſum He-
roum numerantur ſimulacra. Si eos deſideratis, quorum
facinora cum publica laſſatae famæ commendatione terras
& maria replevcrunt ; Lotharingiorum dedit familia : ſi eos
percipere ſtat animo, quorum generofa virtus & indeoles ad
ſidera uſque ſublimata , universum orbem cum ſole ſuis il-
lustravit geſtis ; Lotharingiorum dedit familia : ſi perenna-
turi nominis reliquias, ſumma lumina gloriæ Austriacæ de-
ſideratis ; Lotharingiorum ceræ , illorum dedit familia :
hæc eos immortales nominis ſemideos parturij herœs ,
quorum manibus regnorū, ac provinciarū non raro ſecuritas
eſtverſata ; in quorum armis Imperij totius tranquillitas fe-
dit; qui Martis acinacem circumtulerunt, ut victorias repor-
tarent; victorias reportarunt, ut amēnā pace regiones ſere-
narent ; qui felicius publicæ incolumitati impenderunt ma-
nus, quam alij calamos ad eorundem encomia ; plura edi-
derunt magnanimæ dextræ experimenta , quam oratores
ut cunq; facundi potuerint meditari. Innumera Pro-
ſapiæ hujus Sereniflmiæ, quot nomina, tot orbi universo ad-
mirationis argumenta ſilentio involvendo, unum quis igno-
rat Carolum, illum Leopoldi Archistrategum invictiſſimum,
fortiſſimum Ungariæ Herculem, terrorē hostium, Tracicæ po-
tentatis domitorem ? cuius geſta, quid niſi immortalitati tran-
ſcri-

scribenda facinora? cuius vita continuata erat in arena victoria. Bellabat; & hoc martis fidus jam Austriae omen erat victoræ: cingebat præsidia; néque aries fortior ad hostile omne obductans robur evertendum, quam Lotharingum castraesse metatū: uno eodemq; pede tum hujus nomen, tum victoria- rum fama incedebat: in arena vidisse Carolum, Aquilis fuerat vicisse. Quid, quod in Alphonsis quartis, & Petris primis; in Eduardis, Joanne primo & secundo gloriissima hæc Domus, regium adusque solium meritis suis eluctata sit; quando in ijs Augustos Joves supra Portugallia jura dictantes; quando Lusitani solij serenissimos soles, cum regia luce, regiae pariter virtutis ignes obtinuit dispensantes. Ut proin, dum tantâ, tamque Augusta est stirpe Comercium duxisse originem; dum adeò gloriis prodijse eundem è ceris perpendo; dum præterea Pompejum vel ex hinc Magni titulô intelligo condecoratum; quod ipsi à Majoribus, nec non haustâ cum sanguine virtute, ad summa omnia videretur natus; Principem pariter nostrum jure meritissimo, non nisi Pompejum, eumque verè Magnum, ausim affirmare.

Quoniam verò Peligni vatis ea jam dudum, in fumosis solùm Antecessorum superbientes ceris, non item suâ celebres virtute stetit satyra:

*Quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numero consule fasti
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.*

Hinc, quas sanguine hauserat, gestis comprobaturus, Pompei magni prærogativas, eam in se Heroinarum animi dotum expressit imaginem, quam Quirinam ad unguem delinans virtutem, Pompejum verè Magnum in se exhibuit, expressit, repræsentavit. Ternis præcipue (si Romuleis fidibus annalibus) militaris gloriæ currum per orbem raptabat machinis Pompejus; gloria sibi bellica primas, secundas ma- gnanimi-

gnanimitas, fortitudo Martia postremas, hoc tamen in Prin-
cipe minimè ultima vendicaverat partes Sagacitas Martia
metabatur castra , disponebat exercitus , phalanges ordi-
nabat ; infracta animi vis intonabat classicum , denudabat
gladium , inter enses & tela impavida gradiebatur ; forti-
tudo demum hæc pectus pectori, cohortem etiam exiguum
valido hostium exercitui , viribus animos reponebat : prima
serebat laureas , secunda metebat , tertia Pompejanis mili-
tantibus sub signis easdem porrigebat ; his ternis vocibus
animata , orbem illius replevit fama ; his trinis firmata an-
choris, immortalem concedit gloriæ portum ; terna hæc
Capitolij referandi clavis erant aptissima ; hæc laureis
Pompei ornaverè fastos , mortale ad sidera nomen extulè-
re ; Quòd de Jarba Mauritaniæ rege invitatis armis triumphà-
rit ; quòd Sertorium sociatâ cum perduellium cohorte vi-
zibus licet inferior fuderit Pompejus ; militaris præconium
id est industriae , quando dexterè occurrens hosti , suasque
kopias Metello iungens , Martio stratagemate arenam sibi
straverat laureatam . Quòd Mithridatem , Tigranemque ,
hunc Armeniæ , illum Ponti Reges , castris , armis , potentia ,
regno exuerit , id una præstitit magnanimitas , quâ cum
ipso etiam Marte congregdi minimè reformidans , non ullos
Bellonæ , in campum effusos horruit apparatus ; non susci-
tata etiam draconis è dentibus Cadmeam expavit Phalan-
gem . Quòd demum Iberos , Albanos , vel ipso victoris
essedum stipare coacto Rege Aristobulo , duxerit in trium-
phum , id fortitudinis , id masculi robotis , id Achillei
pectoris opus est , quòd pugnare non novit , nisi spolia tam
augusta referendo ; in vulnera etiam promptus , Regum tra-
beas gloriæ ut suæ tributarias nanciseretur . O festivum
fanè (Pompejne dicam ? an sociatarum magis uno in Prin-
cipe pulcherrimo fædere bellicarum virtutum) triumphum !
O illustres & vel solis equis augustiores Quirinæ gloriæ ju-
gales ! queis clariorem . ac quondam suis in elephantis Cæ-
sar , in cervis Aurelianus Romano orbi Pompejus , accendit
diem

diem ; jugales ! queis Herculeas ultra columnas , famæ nomi-
nisque sui ad ultimam usque Thulen transmisit immortalitatè .
Plaude Pompej , neque jam magnus solum , sed Heroum
maximus , quam dores tibi tuæ vendicant , Martiæ fastigi-
um occupa virtutis ; Belliducum primus , in apice militaris
gloriae te jacta locatum ; plaude , gloriae nisi tamen hoc
ipso tuo æmulum sortiaris in triumpho , in victrice laude
procum tuæ non minus invenias virtutis : nosse cupis ? Com-
mercarius est : Commercius ; quem dum nomino , uno
in nomine bellicarum dotum compendium , Mavortij tes-
seram animi , Romuleæ virtutis etypon augustissimum , om-
nium omen dedi victoriarum . Commercius ; cujus belli-
cam industriam deprædicavere castra , magnanimitatem
submissis in fata cristiis adoravere lilia , fortitudinem Au-
striacus orbis , sicut pro affectu copiosè , ita pro dignitate
extollere satis potuit nunquam : Commercius , quem adin-
star Persei ægide Minerva , seu Sapientia ; galea &
enfe mentis , pectorisque robur armis instruxere laureatis .
A sagaci industriâ , industriâque sagacitate initium ducen-
do ; ite quicumque Macedonas in secundis nodis Gordijs ,
vel in Saxis emolliendis Hannibales , vel in fusô , ingeniô ma-
gis , quam viribus , hostili exercitu Iphicrates dilaudatis ; ite ,
si que unquam militaris ingenij portentum verius , quam
specimen tale vidistis , edicite ; cernitis , ut cum Eugenio ,
Voudemontioque Ducibus , in Pannonia Cælareis summo
præsit consilio Aquilis ? ut perspicaciâ maximâ Austriaci
Martis moderetur habenas ? ut in omnem laureæ inten-
tus occasionem , cum Argocenteno etiam lumine hostium
machinis soleat invigilare ? Conspicitis , quam militari indu-
striâ metetur castra , designet arenam , phalanges ordinet ;
quam promptò consiliò in adversâ suis adesse bellî alea ,
depositam jam etiam spem victoriae sagacitate suâ ad vitam
non semel videatur revocare ? intuemini , qualiter Ottomani-
cam per Ungariæ campos quaquà versum exundantem lunâ
unâ suâ debellet industriâ ? torrentis instar fœse diffundentes
Thracicæ potestatis vires solò dexterò suò reprimat conatu ?

gigantonomachiam novam per Pannionam ortam bellico
extinguat molimine? ut demum ad Zentam inauditam à sæ-
culis victoriam , unâ suâ, Eugenij ac Vaudemontij procu-
ret sagacitate? ex Vngaria dein bello, & cum eo serenissi-
mô Strategô nostrô in Italiam translatô, Deum immortalem!
quanta non rursus Principis istius in dandis pro arena
hac consilijs dexteritas? quanta his executioni datis Cæsa-
reis signis semper sterit felicitas? è tripode Commercius lo-
qui videbatur ; ejus responsa è typhtera deprompta oracu-
la ; ejus Consilia fortunatissima Cæsareæ laureæ auguria.
Non sic Deorum in concilio aliquando Jupiter, ut cum Euge-
nio Comercius reliquos inter strategos sagacitate eminebat:
liparam Bellonæ ejusdem animum dixeris , adeò in hoc
nihil, nisi trisulca in hostes tela cudebantur. Sapientem
profectò , imò Ducum sapientissimum! seu enim militaria
facinora & gesta , seu insignia belli intueamur stratagemata,
seu consilia perpendamus, alium eundem non quām Pompe-
jo militari industriâ parem , imò & superiorem fas est com-
pellare. Quanquam non hic terminos virtuti suæ bellicæ
posuit ille , cui non minùs, ac quondam Achilli tota accla-
mavit arena :

Non illi bello quisquam se conferat Heros.

Sapientiam quippe coniugio stabili socians magnanimi-
tati , binis his vinculis , aureis velut catenis , non corda so-
lām Cæsaris Augustissimi , verū & exercitū rapuit
universi; rapuit , quando desciscentibus ab Austræ fö-
dere Sabaudiæ Ducas armis , unus Commercius ille
fuit , qui cum Eugenio aheneum se pro Aquilis mu-
rum opponere , qui Protheum palām animum attentavit
condemnare ; quando adversâlicet tentatus valetudine ,
febriumque decumbens ipso eo tempore reciprocante ma-
lo, ad perceptum tamen prælij nuntium, mox ad Colorno,
destinatam provolavit arenam , Cæsareis opī , auxilioque
futurus : Quō in itinere illud majus omnibus Com-
mercialianæ magnanimitatis extitit argumentum , quod
ire.

iteratō quamvis animi languentis concidens pallore,
 attamen de intentione remiserit nihil, solā, suā præ-
 sentiā, phalangi Cæsareæ ad Victoriam stimulo, ho-
 stibus terrori extiturus. Quid de innumeris alijs laude
 omni superiorib[us], atq[ue] à Comercio in arena editis gene-
 roſæ mentis ſpectaculis h[ic] dicam ego? inter medias igni-
 um, globorumque tempeſtates diſcurrebat intrepidus:
 inter vulnera fuorum, & funera gradiebatur infractus, per
 medios hostium acinaces impavidus irruerat: non illum à
 pugna retrahet[ur] fuorum paucitas, non aduersæ phalangis
 jaſtata terrebat multitudo; Cæſareum militem non nume-
 ro, at virtute ad calcum revocans, ſtipante magnanimi-
 tate ſuā, nulli non ſe parem viribus hosti, nulli non ſe po-
 tentiā æmulum credebat. Nimirum generoſæ mentis ignes
 haud temoram ſciunt, ſuo robori pervia ducunt omnia;
 neque ſi fractus illabatur orbis, pavidiū feriet ruinæ; bo-
 reæ vel ægrotantis naturæ, vel fulminei, Principis ſui bo-
 num propugnanti immineant oculi, non columnam, mi-
 nus magnanimum proſternent pectus. Pompejus nempè
 alter, & Heros noſter eſt, in caſtra cum ſapientia venit, ma-
 gnanimitate Martiā vincit. Verūm qui ſapientiam, mar-
 tiosquæ Commercij intuiti ſumus Spiritus, ad lydium etiam
 lapidem fortitudinem ejus, per omnes Orbis decantatam
 partes, provocemus. Cremona lilijs nimium florida, pro
 Comercij tumulo, eoquè ſub Pompeij, tanquam fortis no-
 mine, primum ſuppeditabit elogium. Intueri h[ic] mihi
 videor, ut primus ille viētrices in urbem hanc inducat A-
 quilas; ut dominatricem Leopoldi Magni intonet famam;
 ut copias Cæſareas cum Eugenio, velut altero fulmine
 belli Scipiade, in ordines diſtribuat; ut adverſum liliati
 Martis militem jam, primum ad conflictum ſuā ē ſtatione
 deturbare; ut Cæſarea ubique figere signa, Francicumque
 Italæ nomen Austriacis licet ſanguine depictis Aquilis vi-
 deatur commutare. H[ic] ille dux idem & miles; ſtrate-
 gus, & gregarius; laureæ author & propugnator viſus eſt
 comparere. Sed nunquid, ſi laureatum fortitudinis Cre-

mona in Commercio reperit trophæum, Luzzara neglexit ?
 resonare tubæ ! quæ vel tunc Austriaci Martis in arena
 provocatis spiritus, vel aleam belli geminas inter phalan-
 ges jaciendam promulgâstis ; Ite, plenoque clangore Com-
 mercij in Pompejo, Pompeij in Commercio laudes intona-
 te. Quis enim ille, qui hîc locorum in celebri illâ, liliata
 adversus castra , pugnâ certavit ita , ut sanguineis etiam
 è lilijs Viâtrices Austriæ prodierint laureæ ? Fuit Commercarius :
 quis ille , qui confuso Francici exercitûs ordine Austria-
 cum Martem in castra reduxit laureatum ? Fuit Commer-
 cius : Quis ille , qui in arena illa Austriaco Jovi nomen, fa-
 mamque peperit immortalem ? Fuit Commercarius ? quis de-
 dum ille , qui in certamine hoc , præter bis mille vinculis
 subiugatos, per duodecim Gallorum cadavera, Austriae cur-
 rum duxit triumphalem ? Fuit Commercarius ; Ille in solo illo
 Campi Martij sol , alam licet sinistram , dexterimè tamen
 gubernavit ; unus (unum dico , quia cum Eugenio una ea-
 demque anima) pugnavit , vicit , triumphavit . Præterire hîc
 non possum , prætereuntia licet Padi , & Mincij flumina ; hîc
 ille , quâ non bellicum apparatus advenientem Martio de-
 fendit robore ? quâ non Tanicas legiones in suppetias Aquilæ
 properantes , fortitudine suâ perfidis hostium ab insidijs red-
 didit securas . Plura alia , quæ vel Pannoniæ tellus sempiter-
 næ aliquando memoriae comissura aut Italia inscribet mar-
 mori , insculpet adamanti , in Colossis efformabit ; una illa
 (heu tragica tanti fati historia) quâ ad Luzzaram in pugna
 occubuit , Pompejanæ fortitudinis testis sufficiat , propria
 ruina . Vah ! cur tot Heroibus benignus aliâs Mavors , insidias
 non prohibuisti ? cur immortalitate digno Principi , à frau-
 di assuetis lilijs non præcavisti ! ruebat ille Austriacæ fortunæ
 procus Martio inductus spiritu Francicas in phalanges , at-
 que quâ tutiorem laureæ carpendæ sterneret viam , quâ prima
 Aquilæ in Capitolium Viâtrici advehendæ pateret adi-
 tus , ex occulto percontabatur ; verùm quâm non humi-
 les solùm miricas , sed & cedros inimica feriant fulmina ,
 expertus Commercarius ; qui enim tot per immortalem famam

Austriæ promulgaverat victorias , glande ferreâ in gutture tactus & vitæ , & viðtricis animæ emisit Spiritum. Habetis jam fortitudinis Romanæ ectypon ; habetis militaris roboris argumentum fortissimum ; habetis Comercium, & in Comercio alterum ætatis nostræ Pompejum , proprio suo , quamvis crurore , Pompeianæ fortitudini subscribentem. Ite nunc , & si unquam Herculeam Pompeij virtutem viðtricibus imposuistis bigis , nunc non minus inter vulnera licet , Romana de virtute Comercium excipite triumphantem. Ite, neque jam fastos laureatos, sed vel Iliadem Comercianæ fortitudini adornate. Verum quis ad aures tristis allabitur sonus ? quæ funebris resonat Echo ? si aliquando novercante fortunâ vivis creptum , atque objectum oculis exanime Pompeij corpus à Cæsare lachrimas expressit, & spiria , nunc non minus Austria penè totam perstrepente ferali famâ ad Comercij funus in lugatum , & flebiles neniae spectate resolutam ; luget illa , & quantò majora in Principis hujus martia virtute gaudij collegit fomenta ; tantò graviori nunc dolore gemit sauciata : gemit, & ubicunque tandem ab heroe hoc Aquilis erecta victoriarum memorat trophya , ubique nova vulneris sui nunc inspicit argumenta : Ah siste , siste , queis innatas lachrimis , terrarum alias fortunatissima , nunc mæstite omnis Scopus desolata Austria ! siste luctus ! quem enim ad umbrarum transisse domus , quem manus inter martios versari credis ; suis etiamnum spirat in militibus , tibi , tuaque gloriæ per immortales vel à funere carpendas laureas perennaturus. Siste , eorumque fatis magis ingemiscendi cede provinciam , quibus bene agendi occasio aut defuit , vel industria , vel voluntas negavit potestatem : siste ; indoleant , qui gratulari nequeunt ; mortuicenseantur , quorum nulla virtus vixit unquam ; quorum nomeri oblivione deletum est , quorum fama jacet in sepulchro : Nos , qui in Comercio eum adoramus , qui ortum genere , genus virtute , virtutem honore nobilitavit ; qui vitam factis , facta meritis , merita præmijs cumulavit ; qui obitum quiete , quietem gloriâ , gloriam beatitate coronavit ; qui

Romanam Pompeij laudem devicit in ceris, superavit in campis, sapientia, magnanimitate, & fortitudine longissimis de triumphavit parasangis, eidem non tam mortuo, quam in posterorum memoria, fama suâ etiamnum vivo acclamamus:

Magne vive! Pompej Vive!

Vel atras inter mortis umbras Dux serenissime vive!

Vivere Te jubemus;

Anima enim & vita cum nunquā non Augustæ fueris militiæ,

Mori nec potuisti! nec debuisti.

Erraverunt vel tangentes globo Parca,

Dum ex insidij cum Commercio commercium sibi appetentes,

In eum inciderunt,

Qui non nisi commercium habuit cum immortalitate.

Testis hujus solum Pannoniæ,

In quo sol Martius refulisti ita,

Ut non nisi laureas hic Austræ nutriens

Lauretum verius Aquilarum fecisse videreris.

Ad Zentam Odrysiam in undas mersisti lunam:

Mutabile jam nihil, ne quidem vitam habiturus;

Quam Martiam per virtutem pridem feceras immortalem:

Quamvis porrò ubique Argus, ut observaret,

Ubique Mars, ut feriret, Commercius,

Luzzaræ tamen cecidit;

Sed non nisi cum Anthæo:

Obiit; sed non nisi cum Phœnice:

Cum primo alter Pompejus surrecturus ad gloriam;


Cum secundo sapientia, fortitudine, magnanimitate

Romana in gloria perennaturus.

Composuit

JOANNES SEBASTIANUS ab HOCHENWART.

NO.



NOMINA OFFERENTIUM. ORDINE ALPHABETICO.

Franciscus Joannes Alferus Carolus, S. J. R. I. Comes ab Inzaghi.

Franciscus Josephus Georgius, S. R. I. Comes ab Herberstein.

Joannes Josephus Gandolphus, S. R. I. Comes Barbo à Waxenstein.

Joannes Maximilianus Antonius Sigismundus S. R. I. Comes in Herberstein.

Adamus Georgius L. B. Chykulini de Szómszed Vara.

Franciscus Eusebius L. B. Jöchlunger à Jochenstein.

Josephus Antonius L. B. de Amezaga.

Joannes Franciscus Thomas L. B. de Amezaga.

Joannes Georgius L. B. à Sauer.

Wolfgang Antonius L. B. Jöchlunger, à Jochenstein.

PROVINCIALES.

Antonius Nicolaus Pathathich, de Zaiezda.

Antonius Petrus de Pathathich pe Zaiezda.

Augustinus de Denaro.

Franciscus Josephus Höscht, de Grienegg.

Georgius Jacobus Ignatius à Dejerlisperg.

Petrus de Denaro.

RRÆNOBILES.

Antonius Cæsar.
Adamus Ignatius Berfler, à Berenberg.
Cajetanus Sebastianus Grembs.
Carolus Ignatius Rudolph, à Rudolphsthal.
Carolus Sigismundus Pilpach.
Franciscus Carolus Josephus Tosch, ex Archi-Ducali
Convictorum Collegio.
Franciscus Jacobus à W undegg.
Franciscus Joannes à Bettenburg.
Franciscus Josephus Dekart.
Franciscus Xaverius Rues.
Georgius Josephus Maister.
Godefridus Erasmus Antonius Völcker.
Joannes Carolus Danzer à Danzenberg.
Joannes Dominicus Ramelmayr, ex Cæsareo Ferdi-
nandæo.
Joannes Sebastianus Hochenwarter.
Josephus Fortunatus Pilpach.
Josephus Joannes Antonius Völcher.
Laurentius Antonius de Vanossi, ex Archi-Ducali
Convictorum Collegio.

NOBILES.

Andreas Ignatius Tirenberger.
Ferdinandus Carolus Ignatius Maz.
Franciscus Joannes Fridman.
Fabius Massot.
Ignatius Josephus Pozvinszky, ex Archi-Ducali Con-
victorum Collegio.
Josephus Simon Hölzl.

F I N I S.